Ad historiam carminum Ovidianorum recensionemque symbolae.

I.

Operum Ovidianorum corruptissimum quod nominat C. Lachmannus (ad Lucr., p. 199) tristia, quae ante eum R. Bentleius ex omnibus Ovidii libris mendosissimum esse dixerat (cf. I. Bernays Mus. Rhen. VIII, p. 5), hoc neminem viro singulari non adsensurum esse credo, si modo aliquam in tractandis eis curam atque operam posuerit persuaseritque sibi, concedendum esse M. Hauptio (opusc. III, 510) nullos nos habere codices tristium bonos. Quamquam autem reperto Marciano codice et cognito parti saltem elegiarum melius provisum est quam antea, tamen plurima restant, in quibus, ut manifestas omittam codicum interpolationes, haesites, cum non solum in verbis singulis verborumque contextu sed etiam in versibus universis libri adversa fronte inter se discrepent, quae discrepantiae ipsae qua auctoritate quo tempore in poetae disticha invaserint, accuratius explorari non iam poterit, quoniam unicum hac in re a codicibus ipsis petendum est testimonium. Nimirum nulli tristium fuisse videntur commentarii, nulla vetus interpretatio, quali olim metamorphoses quidem et Ibim instructas fuisse ex tenuibus reliquiis concludas, quae dispersae inveniuntur in Lactantii Placidi q. v. paraphrasi, apud Probum (ad Verg. Georg. I, 399), Servium, Mythographos Vaticanos, Vibium Sequestrem, fortasse etiam apud Anonymum, cuius fabularum collectio exstat in Westermanni mythographis p. 347 sq., et apud scholiastam Ovidianum, de quo egi in programmate anni 1876, et in editione sua R. Ellisius, spissa tam interpolationum et barbariae quam nequitiae caligine obrutae. Accedit, quod tristia non in eorum librorum numero videntur fuisse, quos Grammatici versarint atque in usum suum adhibuerint, quemadmodum in eo numero non fuerunt heroides, epistulae ex Ponto, Ibis. Ex omni enim grammaticorum turba duo tantum tristium mentionem faciunt Atilius Fortunatianus et Auctor de dubiis nominibus, qua quidem neclegentia etsi poetae versus subsidio haud ita egregio fraudantur, hoc tamen probatur, non magnam apud illos fuisse carminum eorum auctoritatem.

Atque Fortunatianus quidem, qui qua aetate scripserit, plane ignotum est (Gr. L. VI, p. 291, 17 K.; cf. p. 253), de *pentametro epodico* disserens haec affert: *habet enim prima pars duos pedes et syllabam partem orationis finientem, secunda item similiter divisa: prima sic ‚hei mihi cum domino' secunda ‚non licet ire tuo'*. Indicatur a Fortunatiano, id quod ad locum ipsum non adnotavit H. Keilius, adnotavit in Indice vol. VII, versus tristium I, 1, 2

Ei mihi, quod domino non licet ire tuo.

Subdifficilis igitur in ipso disputationis limine quaestio oritur, quid iudicandum sit de grammatici lectione. Ea, quam H. Keilius recepit, est vulgata, cum veteris codicis Bobiensis apographa Vaticana sic locum exhibeant: *prima sic hei mihi cum domino non licet ire tuo Secundo hei mihi quo d. n. l. i. t.* Vides totum versum repeti pro parte versus, quam solam exigebat argumentatio, sed recepta lectionis varietate, quae quam mature tristium versus obsederit, hoc exemplo luculenter demonstratur. Nostri codices illud *cum* non agnoscunt, sed aut *quod* (sic etiam cod. Bern. 478) exhibent aut *quo* (sic pro v. s. etiam Barberinianus VII, 59 saec. XIII, quem partim contuli anno 1876). Utrumque dicendi generi Ovidiano convenit: *ei mihi quod* legitur ep. XX, 203. 204. a. II, 3, 1. met. I, 523. trist. I, 6, 29. II, 343. III, 2, 23, ubi tamen e Marciano reponendum esse puto *quo; ei mihi quo* met. VIII, 491. IX, 520. Ad rem vero decernendam lemmate illo nil adiuvamur, cum illud *cum* propter

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sententiam rectum esse non possit, sed intrusum est, ut suo talo stet versus; interpolationem similem apud Fortunatianum deprehendes in eis, quae continuo laudat, ex a. a. I, 295 sq. desumptis

Pasiphae niveo gaudebat adultera tauro

cum in codicibus omnibus sit

Pasiphae fieri gaudebat adultera tauri.

Sed utrum *quod* an *quo* legendum sit (recepit hoc editor Austriacus), quaeritur: quamquam prospere accidit, quod illud non solum sententia ipsa elegantiaque quadam dicendi, uti demonstravit in editione maiore R. Merkelius, sed etiam more Ovidiano commendatur; nunquam enim Ovidius *ei mihi* in membra periodi inseruit, sed ut semper posuit in versus initio — ep. XVI, 246 in medio versu positum coarguit imitatorem — ita (ad locos a B. Eschenburgio in programmate Lubeccensi a. 1886 collectos adde ep. XX, 45. 108. 203. 204. 205. met. I, 523. VI, 227. VII, 783. VIII, 491. IX, 520) aut cum vocativo coniunxit, aut in initio collocavit sententiae, cum tamen in tristium versu *quo* esse oporteret pronomen relativum; per Fortunatianum igitur non stat, quominus *ei mihi quod* legamus.

Alter, qui tristia laudat grammaticus, is est, quem accuratissime, ut omnia, totum primus codice Monacensi adhibito edidit H. Keilius in Grammaticorum volumine quinto (p. 572), cum apud M. Hauptium in halieuticon editione desit initium. Huius s. v. *bracas* haec est adnotatio *bracas non braces ut Livius* (Mon. *luuius*) *laxisque bracis.* At desumpsit ille haec non ex Livio, sed ex Ovidii tristibus, ubi V, 7, 49 leguntur haecce:

Pellibus et laxis arcent mala frigora bracis.

Vitium autem hoc sive inde natum est, quod ad auctoris alterius nomen, omisso in excerptis et loco, qui inde petitus erat, et auctoris veri nomine, addebantur, quae ad alterum pertinebant (sic saepius in libello illo peccatum est, cf. s. v. *perdix* coll. Non. Marc. I, p. 326 Mueller s. v. *serta* s. v. *torques;* idem apud alios grammaticos occurrit, cf. e. c. Fest. p. 314 M.), sive nomen solum corruptum est, veluti in Lucani commento bernensi ad V, 180 *obiuius* scriptum est pro *Ovidius,* omnem certe dubitationem eximit locus alter (p. 375, 16), ubi haec habet grammaticus: *ut Livius: ‚malum latere solet inmedicabile cancer‘,* qui versus exstat apud Ovidium, met. II, 825: *utque malum late s. i. c.* Fluxisse autem loci ipsius notitiam ex fonte eodem, unde hausta est Capri qui dicitur glossa: *bracas non braces* (Gr. L. VII, 108, 10; apud Putschium, p. 2247, legebatur: *brachas non bracas*) i. e. ex Capro grammatico, *doctissimo antiquitatis perscrutatore,* satis scite H. Keilius coniecit (l. l. V, p. 570). Hoc si verum est, nemo mirabitur, quod anonymus ille uno loco, qui in omnibus codicibus corruptus fertur, Ovidii manum egregie servavit, met. VIII, 237, ubi (l. l. p. 587, 1) exhibet: *garrula limoso prospicit elice perdix* cum in codicibus versus legatur sic: *g. ramosa prospexit ab ilice perdix* (cf. N. Madvig adv. crit. II, p. 81), quo exemplo quot quantae corruptelae in poetae verbis lateant, manifeste declaratur: cum autem res ipsa anonymi lectionem commendet, tamen sunt, qui in codicum auctoritate stupeant. Sed primum observationum illarum de dubiis nominibus auctorem ea aetate scripsisse, quo non solum emendatiora, sed etiam ampliora Ovidii carmina exstabant, etiam inde apparet, quod duo excerptis illis solis debentur poetae Paeligni fragmenta s. v. *cristallum (ut Ovidius ‚currus cristallo lucidus alba‘,* ubi aut cum H. Keilio legendum *sed O.* aut cum M. Hauptio *albo)* et s. v. *vehes (ut Ovidius ‚innumerosque vehes‘).*

Quoniam autem ad fragmenta Ovidiana delapsus sum, pauca de eis ipsis monenda mihi videntur. Eduntur enim nunc quoque ita, uti collegit N. Heinsius, additis eis, quae ex Auctore de dubiis nominibus supra attuli, sed omissis aliis, quae addi ut poterant ita debebant: ipse recentissimus eorum editor in eis acquisivit, quae invenit apud A. Riesium, cf. Burs. nunt. annal. XLIII (1885, II) p. 264. Primum autem, quod addatur, fragmentum suppeditant excerpta ex Charisii arte grammatica (Gr. L. I, p. 550; edidit primum St. Endlicher, Anall. grammat., p. 101), ubi leguntur haec: *viscera; Ovidius singulariter: viscere diviso* cf. etiam Beda de orthogr. G. L. VII, p. 294; qui locus unde in excerpta illatus sit, nescitur, cum apud auctorem excerptorum, Diomedem (Gr. L. II, p. 328), non legatur, ita ut similis huius loci sit ratio atque eius, qui citatur apud Paulum Festi, p. 327, 4 M., cum apud

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Festum ipsum Ovidius p. 326 non commemoretur; habet autem singularem numerum (vide etiam Prisciani inst. lib. VI, p. 274 H.) non semel Ovidius: cf. met. VI, 290, quem locum Priscianus l. l. laudat, XV, 365. Ib. 192. (194.) 400. (402.); legebatur olim fast. IV, 205, ubi tamen haud scio an recte RV *gutture;* in metamorphoseon libro octavo v. 829 legendum esse coniecit R. Merkelius (cf. ed. II, praef. p. XXVIII), *inmensaque viscere regnat,* frustra, opinor, propter appositum *inmensa,* quod non haberet, quo referretur, cum met. XV, 88 *(in viscera viscera condi)* singularis et Amploniani auctoritate et sermone Ovidiano (cf. met. XIV, 176) et scholiastae ad Pers. sat. III, 55 testimonio commendetur; cf. etiam F. Neue, Formenlehre I, p. 447, ubi adde etiam Ser. Sammon. v. 559, et Arevalum ad Iuvenc. hist. ev. I, 125. — Alterum fragmentum, quod exstat apud Primasium, episcopum Uticensem saeculi quinti, in Comm. in ep. ad Hebr. c. 11 (ed. Colon. 1538, p. 603), indagavit M. Hauptius, cuius viri doctrinam nihil fere fugiebat quamvis remotissimis litterarum angulis absconditum (opusc. III, p. 428): *secula vero, ut Ovidius Naso dicit, dicuntur a sequendo, eo quod sese sequantur atque revolvantur, teste Varrone,* quo fragmento quid faciendum, sit quamquam mihi non constat (H. Usener, Mus. Rh. XXIII, p. 681 sq., coniecit pro *Ovidius Naso* legendum esse *Opilius* vel *Opillius,* quae coniectura si non palmaris at certe egregia est), tamen in fragmentis utique enumerandum fuisse nemo infitiabitur; nec tamen scio, an eiusdem sit generis atque tertium, quod adhuc desideratur in editionibus: quippe in scholiis Bernensibus Vergilii, quae in supplemto annalium philol. IV H. Hagen edidit, ad Verg. ecl. III, 105 (p. 774) haec habes adnotata (cf. Philargyr. ad l. e.): *item caeli spatium Ovidius Naso* (cf. H. Hagen l. l., p. 713: *Aufidius esse*) ⟨*putei* add. H. Hagen⟩ *orificium ait, quia tantum caelum patere videtur, quantum orificium patet,* ubi mihi quoque nomen auctoris corruptum esse videtur propter codicum variam lectionem, quae apud Philargyrium invenitur (cf. O. Ribbeck proll. ad Verg., p. 97 sq.); nam apud hunc *Ovidius* ille *Naso* codicis Bernensis — nota tamen formam nominis eandem, quae est apud Primasium — in Laurentiano et Parisino m[1] *oledius nasso* audit, ita ut ad poetam pertinere neutrum locum arbitrer. Quartum afferri debebat fragmentum ex Servii commentario ad Georg. I, 43, quo, si modo de Servii verbis ipsis non ambigendum esset, de altera fastorum parte doceremur, quam Ovidius notissimo illo tristium loco (II, 549 sq.) quin indicarit dubium non est, num absolverit dubitatur: et tanta res cum agatur, tamen apud editores frustra Servii locum quaesiveris! Nolo de eo nunc fusius disputare, hoc unum addo, quod G. Thilonis editione docemur, in vetere codice Lemovicensi, nunc Leidensi saec. IX/X nomen Ovidii *(sic Ovidius in fastis)* legi ante verba *unde sunt Iulius et Augustus* et in Caroliruhensi saec. X *sic — fastis* omnino omitti, ita ut e margine illud postea in commentarii contextum receptum esse his indiciis nixus existimem, adscripsisse autem in margine doctum aliquem librarium, qui legerat fast IV, 87 sq.; V, 85 sqq.; VI, 17 sqq. 87 sq. (coll. I, 41 sq.; V, 427; III, 149 sqq.), uti adscripsit auctorum nomina in codice Palatino ad Parthenium et Antoninum Liberalem homo aliquis doctus; non igitur adsentior G. Nickio (Philol. XXXVI, p. 431 sq.), qui verba *sic O. in fastis* loco suo mota alieno loco nunc legi arbitratus est.

Satis equidem scio, multa iniuria tribui Ovidio multaque eius nomine ferri, quae ut ad eum omnino non pertineant (de Nasone aevi Carolini poeta infra dicendum est), ita tandem aliquando cum indicio collecta componere operae pretium sit: facile igitur potest accidere, ut frustra, quae pro Ovidianis laudentur, in genuinis carminibus Ovidianis quaeras, cum exstent in pseudepigraphis. Huius quoque generis unum saltem afferam exemplum, ne alii iam tempus et operam perdant. In anecdotis Helveticis (Gramm. Latin. supplem. Lipsiae 1870) H. Hagen ex codice Einsidlensi Prisciani commentarium excerpsit, in quo ad Prisciani locum I, p. 379, 7. H. adscripta sunt (An. Helv., p. CLXXVI) haec: *solor unde consolor. Ovidius Naso ‚Agnoscit Palinurum et ibi solatur elisam'*; adnotavit H. Hagen, se *locum non invenisse*; neque id mirum, nam apud Ovidium inveniri non potuit, cum legatur in argumentis Aeneidis (VI, 5), quae Ovidii Nasonis inscripsit ipse eorum fabricator, cf. anth. Lat. I, p. 5 R. = poet. Lat. min. B. IV, p. 165; docet igitur versus iste, quanta in fragmentis Ovidii tractandis opus sit cautione; ne autem iterum ad personatum hunc Ovidium redeundum sit, iam hic commemoro, tristia quoque illum ad versus suos, de quorum arte et aetate nuper C. R. Opitzius in studiis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lipsiensibus egit (VI, p. 298 sqq.), adhibuisse condecorandos: nam versum praefationis alterum et quartum consarcinavit ex trist. III, 3, 74. 77; ad v. 8 cf. trist. II, 535; *Aenēidos* dixit = Ovid. ex P. III, 4, 84.

Sed ut tandem redeat, unde deflexit disputatio, quod supra Auctorem de dubiis nominibus q. d. ex Capro sua sumpsisse posui, inde ne quis Caprum commentarium in tristia Ovidii composuisse concludat, satis cautum est eis, quae in praeclarissima de Plauti interpretibus dissertatione F. Ritschelius (parerga Plautina, p. 361 sqq.) explicavit. — Grammaticis autem hisce, qui proprie nominantur, subiungatur Vacca, expositor Lucani, qui in vita poetae illius (saec. VI? cf. Teuffel R. L.[4], p. 684; cf. etiam Suetoni rell. ed. A. Reifferscheid, p. 392) posuit haec: *reliqui enim VII belli civilis libri locum calumniantibus tamquam mendosi non darent, qui, tametsi sub vero crimine, non egent patrocinio; in isdem* (codd. W B *hisdem* l. *in his idem*) *dici, quod in Ouidi libris praescribitur, potest: ‚emendaturus si licuisset erat'*. Versus hic est primi tristium libri (7, 40), ubi tamen codices probi (Marc. Guelf., sed hic ante *eram* habet rasuram, Goth.; adsentiuntur plurimi Heinsii et Merkelii codices) recte exhibent *eram;* codices igitur biographi, quorum testimonium, quamquam unus certe est saeculi decimi (cf. A. Reifferscheid l. l., p. 76), tamen editores omiserunt, hoc quoque loco codices deteriores ad auctoritatem satis vetustam relegandos esse declarant, etsi in eos ipsos potius ex metamorphoseon, quibus totus ille tristium locus praescribi solebat, titulo — sic versus exstat in cod. Berol. metam. — quam ex vita illa pervenisse credam, in quam ipsam quoque forsitan non ex tristium lectione sed ex metamorphoseon codice sint illati.

Rara igitur apud grammaticos tristium est mentio, sed nulla omnino apud interpretes poetarum et commentatores, nulla apud Nonium Marcellum, Macrobium, Isidorum, nulla apud prosae orationis scriptores, ne apud eos quidem, qui saepius versibus Nasonianis libros suos distinxerunt, Senecam rhetorem dico et philosophum, quamquam hunc novisse tristia ipsius libri in exilio compositi docent, aut apud Quintilianum, studiosum carminum Ovidianorum lectorem. Attamen brevi post poetae obitum iam intermortuam fuisse tristium memoriam si quis inde suspicetur, is vehementer vereor ne erret; nam fere omnibus inde ab Augusti aetate usque ad renatas quae dicuntur litteras saeculis et nominant illa, utpote poetae opus, et imitando exprimunt poetae, neque umquam miseri sodalis obliti sunt fortunae sive ipsi simili calamitate afflicti sive numerorum suavitate, quamvis minor artis cura sit *in Ovidio exulante et prostrato* (C. Dilthey, ind. lect. Gottingensium 1884/85; cf. etiam S. Kleemann, *De libri tertii carminibus quae Tibulli nomine feruntur.* diss. Argentor. 1876) et querellarum maestitia affectuumque vi commoti sive orationis sententiarumque, quae in maxima aequalitate tamen eminet, varietate allecti ingeniosa. Et digna sunt, quae suspicias carmina, licet non eadem in illis quae in prioribus spiret animi ferventis venustas, cum infracta dolore et Urbis suorumque desiderio poetae olim felicissimi mens exilii mala vix ita potuerit tolerare, ut ex miseriae fluctibus emergat. Cum autem, qui nativam et ut ita dicam classicam carminum illorum pulcritudinem non ipse penitus sentiat, ei auctoritatibus allatis minime possit persuaderi, nolo equidem testimonia commemorare aliorum; sufficit Goethii, quo poeta divino nemo unquam veterum recentiumque hominum naturam atque indolem moresque verius perspexit, nemo in sua persona artius coniunxit, ita ut revixisse in eo homine Germano Graecorum Romanorumque aetas videatur, sufficit Goethii inquam laudare exemplum, qui aeternae Urbis ruinas ac monimenta relinquens tristium versibus animi maerorem consolatus est, neque unquam colloquii eius ex memoria mea elabetur recordatio, quod Theodorus Heysius olim mecum Florentiae habuit, qui vir ipse poetico afflatu instinctus litterarumque veterum unus peritissimus idemque exactissimus artis poeticae iudex non satis se admirari posse profitebatur Ovidii facilitatem venustam, gratiam decoram, facundiam nunquam deficientem, quae in carminibus per exilii tempora factis eo magis eluceat, quo gravius mollis poetae animus fortunae iniquitate fuerit percussus. Nec tamen hoc loco eos defendere opus est, qui imitanda illa sibi proposuerint carmina, nec, quod inter omnes constat, accuratius persequi, inter Latinos maxime poetas eum viguisse morem, ut sermonem poeticum semel excultum quasi omnium communem esse signatoque semel nummo omnibus uti licere putarent nec solum ab Augusteis poetis Ennium Lucretiumque, ab aequalibus aequales, a primi p. Chr. saeculi

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poetis Augusteos, sed etiam a christianis, qui omnem dicendi facultatem elegantiamque, si quae erat, a fidei adversariis ad illos ipsos impugnandos novaque praecepta praedicanda petiverant, paganicos illos inprimisque Vergilium Ovidiumque expressos esse atque adeo expilatos; sed haec quae iam afferam, eo consilio collegi, ut hoc quoque exemplo qualicumque demonstrarem, quam continua serie litterarum monumenta inter se cohaereant quantumque exemplar semel fictum, si modo aliquid praeclari in eo inerat, ad posteriores valuerit, praesertim apud veteres, quibus formae semel procreatae in omni artium litterarumque genere quasi typicae fiebant, neque unquam intermissam esse litterarum vicissitudinem. Egregie hoc post alios in Vergilio D. Comparettius, in Horatio M. Hertzius ostentarunt, in Ovidio, metamorphosesin praecipue, C. Bartschius incohavit, sed ita, ut major operae pars restet, quorum virorum ad laudem etsi non adspiro, tamen non inutilem fore spero opellam meam his potissimum temporibus, cum in omnia alia potius quam in veterum litterarum historiam inquirendum esse ubique clamitantes audias, quam tamen nullam esse puto, nisi ita singuli percenseantur scriptores, ut et auctorum et imitatorum detegantur vestigia. Isti autem eam, quam imbiberunt, opinionem sibi habeant, dummodo eidem desinant de eis iudicare, quae ipsi non curent; quicumque accuratiorem cultus doctrinaeque humanae cognitionem parare sibi student, cum videant, quam arta cognatione omnia contineantur, hi ne minima quidem despicient, quibus durare ingenii vim illustrabitur.

Primus autem procul dubio tristia Ovidii imitatus est Ovidius ipse, diligentissimus et frequentissimus, uti satis constat, sui imitator; qui qualia ex eis in alia carmina sua transtulerit, tam accurate et copiose A. Lueneburgius in dissertatione Regiomontana (1888), p. 26—48 (cf. etiam p. 60 sqq. 69 sqq. 78 sq.) exemplis satis multis explicavit, ut ego in re aperta diutius commorer non oporteat; ex aliis autem poetis primum equidem ego eum tristium exemplum secutum esse arbitror, qui tria epistularum paria, quae in codicibus post heroidas Ovidii feruntur, secundum Ovidianam orationis metrorumque rationem quoquo modo composuit, ita ut, qui senis Ovidii carmina illa esse dictitent, hoc recte viderint, intercedere inter Ovidii exulis carmina epistulasque illas artam quandam necessitudinem: ac de arte quidem metrica conferantur velim, quae B. Eschenburgius in programmate Lubeccensi anni 1874, p. 11. 18 de exitu pentametri collegit polysyllabo (vide etiam Diltheium l. l. et mea in Bursiani nunt. annal. XLIII [1885, II], p. 214): qui exitus ut congruit cum carminibus Tomitanis, ita non occurrit in heroidibus genuinis; nam quod ex quarta decima heroide afferunt trisyllabae, quam in solis epistulis ex Ponto Naso sibi permisit, clausulae exemplum (XIV, 64 *forent generis*), hoc non ab Ovidio sed ab interpolatore esse profectum docet Parisini codicis lacuna et eadem clausula versus item interpolati a. a. I, 332 *cum reliquis avibus,* quem versum una cum antecedente omiserunt et Regius et Oxoniensis, cum alii codices, quorum librarios mendum illud non fugit, versum ipsum mutarent; de dicendi vero genere multa laudanda sunt, quae B. Eschenburgius in programmate altero (1886) composuit et Wolfram Zingerle in quaestionibus Oenoponti 1878 editis. Versus autem ipsos confer hosce: ep. 16, 52 *clara satis domus haec nobilitate sua* = trist. 2, 112 *domus . . clara nec ullius nobilitate minor;* 220 *terra, precor, vultus obruat ante meos* = trist. I, 2, 34 *dumque loquor, vultus obruit unda meos;* ep. 17, 16 trist. IV, 9, 10; 17, 24 trist. III, 7, 2; 17, 112 trist. I, 3, 72; 17, 149 coll. trist. IV, 3, 1. ad epp. 17—20 trist. III, 10, 41 sq. 73 sq.; ep. 17, 100 trist. III, 10, 40; 17, 131 trist. III, 10, 43 (Zingerle l. l., p. 54); 18, 48 trist. IV, 1, 10 (?); 19, 74 trist. V, 8, 22; confer etiam, quae Zingerle exposuit p. 51 sq. Nolo plura congerere, praesertim cum sciam, adhuc sub iudice litem esse de carminum horum auctore, ad quam diiudicandam talibus observationibus vix quicquam adiuvamur, cum qui eis solis nitatur, eodem iure Ovidium se ipsum imitando expressisse atque ab alio Ovidium expressum esse possit ratiocinari: sed hoc utut est, plus uno loco carmina illa inter se consentire negari non poterit ac ne in Sapphus quidem epistula, cuius similis est condicio, memoria tristium desideratur: confer ep. S. 98 trist. I, 1, 13. III, 1, 15; v. 7 trist. V, 1, 5, quo ipso quoque loco commendatur codicum lectio in epistula Sapphus (*elegi flebile carmen*) a me restituta; v. 39 trist. II, 162 sqq.; v. 79 trist. IV, 10, 65; v. 196 trist. I, 1, 48; v. 206 trist. II, 532 aliaque, quae suis locis adnotata in accuratissima S. G. de Vriesii editione invenies.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Non minori autem dubitationi obnoxia sunt, quae iam disseram de aequali quodam Ovidii, quamquam hanc quaestionem ad certiorem finem perduci posse confido, Lygdamum dico, cuius elegiae tertium olim Tibulli librum efficiebant, post. I. H. Vossium suo nomine inscribuntur, sive verum hoc est, ut sane potest esse, cum Lygdami nomine et servi et liberti apud poetas et in inscriptionibus (cf. S. Kleemann l. l., p. 23) appellentur, sive fictum, ut plurimi putant, quamvis de eo, qui nomine illo lateat, mirum quantum dissentiant: si verum est, hoc tamen tenendum est, novatum id nomen a Romanis, cum Graecis sit *Lygdamis*, non *Lygdamus;* si fictum est, ego poetam, quisquis sit, illud ideo sumpsisse arbitrer, ut flebilia se pangere carmina indicaret, cum non tam a λύγδος ducendum videatur (cf. L. Dissen, praef. p. XXXII), quam a λύγδην (cf. Suidas s. v. et Soph. Oed. Col. 1621), licet utrumque ab eadem radice ducatur vocabulum, ita ut ipse poeta veriloquii index putandus sit, cum dicit 2, 29 sq.: *Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neaerae, coniugis ereptae, causa perire fuit,* cf. v. 6 et 6, 61. Hic poeta lacrimosus ut natalem ipsum, ita versum totum, quo illum significat, cum Ovidio, tristium auctore, communem habet; nam 5, 18 *cum cecidit fato consul uterque pari* idem est ac trist. IV, 10, 6. Qui versus quantas interpretibus poetae commentatoribusque moverit difficultates, dici vix potest, cum alii totum eicere, alii verba ipsa mutare ausi sint (cf. L. Lachmannum l. l., p. 120 et notam G. Hilleri), alii (cf. Bolle progr. Detmold 1873) omnia ficta esse in istis carminibus a viro aliquo docto post Ovidii et Messallae tempora sibi persuaserint, alii (cf. Liers progr. Bromberg 1875, p. 11) versum ad parentes poetae referendum esse, alii Ovidium personatum illo detegi (cf. O. Gruppe, roem. El., p. 133, et S. Kleemann in diss. supra laudata), alii ne eosdem quidem consules a Lygdamo et Ovidio indicari (cf. Dissen, praef. p. XIX), alii denique versum ex Ovidio insertum esse arbitrati sint: hisce nuper Aemilius Baehrensius (Tibull. Blaetter, p. 37) suffragatus est. Sententiarum autem harum omnium nulla mihi videtur probabilis, quoniam aut sua corruunt imbecillitate, aut argumentis contrariis convincuntur, quae cum nunc afferre longum sit, hoc adnotasse sufficiat, eos, qui Lygdamum imitatorem putent, plane insipientem fingere carminum auctorem, quippe qui ipse se anno 43 a. Chr. natum 5, 6 dixerit iuvenem, cum tristium liber quartus scriptus sit altera exilii hieme i. e. anno 10 p. Chr. (cf. Bursiani nunt. annal. XLIII [1885, II], p. 131 sqq.). Itaque eis solis adsentiendum esse censeo, qui I. H. Vossium secuti (vide W. Hertzbergium in annalibus Halensibus 1839, p. 1020, et A. Zingerleium in libello notissimo et utilissimo de Ovidio eiusque tam exemplis quam imitationibus I, p. 105) Ovidium sua ex Lygdamo hausisse credunt; nam versus ille celeberrimus non solus poetarum cognationem coarguit, sed plura eius exstant testimonia, quae collegit S. Kleemannus l. l., p. 7 (cf. etiam C. Lachmanni scripta minora II, p. 121) et O. Gruppe l. l., p. 128, qui rectissime arta quadam necessitudine coniunctas esse etiam *primam tristium et primam Lygdami elegiam* iudicio subtili et eleganti explicavit. Nec obstat opinioni illi, quod Lygdamus ignobilis et mediocris, Ovidius nobilissimus et ingeniosissimus fuerit poeta: nam placuisse illum vel inde apparet, quod in Tibullianorum carminum corpus receptus est dignusque habitus, qui inter poetas hosce Valerianos referretur, eademque res demonstrare videtur familiaritatem quandam Lygdami Ovidiique: nam Ovidius quoque domum frequentaverat Messallae (cf. G. Graeber, quaest. Ovid. I, Elberfeldae 1881, p. XVII); accedit, quod Ovidius tristibus ipsis auxilium filiorum Messallae potissimum implorans haud ita perverse eorum maxime poetarum, qui patri illorum valde probati erant, versus recepit inter suos: nullius enim poetae versus toti repetiti sunt in tristibus praeter Lygdami et Tibulli, cuius versus II, 5, 118 integer legitur trist. IV, 2, 52, cf. a. I, 2, 34; quid, quod trist. II, 447—462 toti conflati sunt ex Tibullianis (cf. A. Zingerle l. l. I, p. 56), de quibus quamvis fusius disserere lubeat, tamen digrediendi lubidini non cedam, dummodo allatis illis concedatur, potuisse ut Tibullum ipsum, ita sodalem eius expressum esse ab Ovidio. In Panegyrico autem Messallae (cf. v. 28 sqq. cum trist. IV, 4) colorem Ovidianum vix agnoscas.

Iam vero, ne infra iterum interrumpatur disputatio, hic inseram, quae dicenda sunt de carminibus eis, quae Senecae nomine in philosophi editionibus ferebantur, nunc denuo ad codices collata emendatiora in anthologia Riesii et aucta numero atque in unum locum collecta in Baehrensii poetis Latinis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

minoribus (IV, 1—87) leguntur: de quibus ipsis quoniam hic disserendi locus non est, qui accuratius rem inspicere velint, eos ad O. Rossbachii relego *disquisitionum de Senecae filii scriptis criticarum capita duo.* (Vratislaviae 1882.) Pars carminum illorum quin Senecae sit, ego nullus dubito; ad ea, quae O. Rossbachius l. l., p. 4, collegit, unum addo, quod etsi levius, alicuius tamen momenti est: in Senecae epigrammate primo (anth. L. 236, 5 = PLM IV n. 2) hic versus exstat: *Corsica terribilis, cum primum incanduit aestas,* qui congruit cum Senecae loco, natt. quaestt. III, 16, 3, ubi F. Haasius quidem edidit: *aestas suo tempore incaluit,* sed cod. Bamb. et brit. Gronov. exhibent: *incanduit,* quod reponendum esse et epigrammatis versus docet et Lucan. I, 214 *cum fervida canduit aestas* et Verg. georg. III, 479, qui auctor locutionis videtur, *tempestas toto(que) incanduit aestu.* Haec igitur carmina tam manifestam prae se ferunt tristium imitationem, ut non color solus speciesque eorum universa in pari fortuna sive factorum sive fictorum — composuit Ovidium relegatum ac Senecam *irati histrionis exulem* iam Sidonius Apollinaris c. IX, 269—273 — similis sit elegiarum Ovidii, sed etiam certissima harum in illis deprehendantur vestigia, cf. ad 236 R. (= IV, 2 B.) trist. V, 3, 21. III, 9, 3; ad 237 R. (= IV, 3 B.) trist. III, 12; cum carmine 232 R. (= IV, 1 B.) compara Ov. ex P. IV, 10, 7; notandum etiam v. 6 *repente,* quod vocabulum a plerisque poetis repudiatum (cf. L. Mueller ad Hor., praef. p. XLV) in elegiis Ovidianis (in metam. legitur IV, 407. 586, uti saepius apud Vergilium in Aeneide) uno loco legitur trist. III, 8, 8, ubi quod Vossianus habet *tecta relicta meae,* desumptum est ex ep. ex P. I, 2, 50; in fastis II, 220 iamdudum editum est *zephyro victa tepente,* in arte amatoria I, 114 perperam coniecerunt *signa repente dedit* pro eo, quod ego R. Bentleio et N. Madvigio commendantibus edidi, *s. petita d.;* apud Tibullum (I, 3, 50) non *repente* sed *patentque* (vide F. Leonem in Quaest. philol. II, p. 26; cf. etiam Grattii cyn. 357, Martial. lib. spect. 12, 6) legendum est; ex versu Aetnae (282) F. Iacobus Florentini, Ae. Baehrensius Gyraldini codicis auctoritate sustulerunt. Inter ea autem, quae ex Vossiani codicis carminibus nunc denuo Senecae vindicantur, 407. 408 R. (= IV, 17. 18 B.) tota pendent ex Ovidio trist. III, 4 cf. 407, 1 = O. 5. 13; 4 = O. 5; 5 = O. 7; 6 O. trist. II, 112; 7 = O. 9. 32 cf. ex P. I, 8, 72 (in versu hoc, quem Voss. sic exhibet: *Devita et longe vivus cole,* legendum puto: *D. et l. titulos cave);* 9 *(in plano)* O. 17; 10 = O. 6. [31] cf. ex P. III, 2, 11. Ib. 207 (205); 408, 8 = trist. III, 4, 4 sq; ad 5 cf. trist. I, 9, 19. — Etiam ex Petronii elegidariis unum (c. 80) haud scio an conferri possit cum sententiis tristium (cf. I, 8, 15. 9, 17. III, 5, 5 sq.); sed adseverare hoc quidem nolim. Nec tamen hoc praetermittendum est, in codice Salmasiano sub Vergilii nomine (cf. D. Comparetti, Verg. im Mittelalter, p. 131) unum ex tristibus legi distichon II, 33 sq. (= 262 R.; invenitur etiam in excerptis Vincentii; duo ex Arte disticha recte in Salmasiano notata sunt); notum autem est, in Vossiano, quod nunc fusius explicare nolo, etiam alia exstare carmina, quae themata ex poetis veteribus proposita illustrant ut 415, quae elegia (de Spe) tota composita est ad Tib. II, 6, 21 sqq. et Ovid. ex P. I, 6, 27 sqq. (cf. Wernsdorf PLM III, p. 141), 417. 418, quibus carminibus thema Propertianum (IV, 1, 57), 443. 444. 445, quibus themata Horatiana (c. II, 18. I, 1. III, 3) tractantur, et repeti in eo versus Martialis Iuvenalisque. Multo autem posterius imitationis Ovidianae exemplum legitur in codicis Vossiani serie altera inter disticha duodecim sapientum qui vocantur (cf. W. Teuffel, R. L.[4], p. 36) 531 sqq. R., quibus thema Vergilianum (georg. III, 362 cf. Ae. Baehrens M. Rh. XXXI, 259 adn.), secundum Ovid. trist. III, 10, 31 sqq. poetae illi persequuntur. Etiam elegia in Lycorin q. d. (anth. II, n. 914 R.) afferenda esset, cuius versus 24 idem est ac trist. V, 8, 18, nisi haec carmina a Manutio 1590 primum edita scripta esse saeculo demum XVI E. Chatelain docuisset (Revue de philol. 1880, p. 69 sqq.).

Quod autem Salmasiani Vossianique carminibus (de his cf. etiam W. Teuffel, R. L.[4], p. 699), cuiuscumque sunt, demonstratur, minime neclecta iacuisse in scholis tristia primo p. Chr. saeculo, non minus vulgo placuisse secundo p. Chr. saeculo documento satis locupleti demonstrari posset, nisi ea verba, quibus temporis significatio concluditur, falso ab editoribus essent addita. Exstat enim inscriptio (apud Gruterum 637, 5 cf. F. Buecheleri ind. lect. aest. Gryphiswald. 1870, p. 17; nunc vide C. I. L. VI, 2, n. 9632), cuius primus versus quoniam est *agglutinatus titulo Praenestino* (Grut. 411, 1)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

errore Smetianae sylloges editae, indicare videbatur Commodi aetatem (cf. G. Wilmanns, exempla insc. Lat. I, n. 1273); sed cum nomen in illa ex nostra inscriptione falso sit repetitum, de aetate eius nihil constat; inscriptio ipsa haec est:

L · VALERIVS · ZABDAE · MERCATORIS · VENALICI · L · ARIES
SEV · STVPOR · EST · HVIC · STVDIO · SIVE EST · INSANIA · NOMEN
OMNIS · AB · HAC · CVRA · CVRA · LEVATA · MEA · EST
MONVMENTVM · APSOLVI · ET · IMPENSA · MEA · AMICA
5 TELLVS · VT · DET · HOSPITIVM · OSSIBVS · QVOD · OMNES
ROGANT · SED · FELICES · IMPETRANT · NAM · QVID
EGREGIVM · QVIDVE · CVPIENDVM · EST · MAGIS · QVAM
VBE · LVCEM · LIBERTATIS · ACCEPERIS · LASSAM · SENECTAE
SPIRITVM · IBI · DE · PONERE · QVOD · INNOCENTIS
10 SIGNVM · EST · MAXIMVM

Ut in hac inscriptione, quam *Ovidiani poetae* (cf. Wilmanns 2480) tuo iure dicas, I. I. Scaliger (cf. anth. Burm. II, p. 26) veteris poetae Comici, Afranii aut Titinii, esse mira profecto coniectura existimavit, sic saepius varii generis versus miscentur tam Latini cf. e. g. C. I. L. VI, 2, 13528 Wilmanns 580. 590, quam Graeci cf. e. g. ib. n. 14672 et quae collegit G. Kaibel Epigr. gr., p. 702 sqq.; quid, quod variorum poetarum versus in eadem inscriptione habemus coniunctos (cf. ex. g. C. I. L. IV, 1893. 1894, et exemplum a M. Hauptio opusc. III, p. 201 laudatum), quem morem poetae medii aevi in imitandis veteribus retinuerunt, nimirum discreta collinentes; exempli causa affero Notkerum (cf. E. Voigt ecbas. capt., p. 27), qui ex Horatio (c. I, 4, 13) et Vergili Copa (v. 38) haec composuit:

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Aut regum turres: vivite, ait, venio!

Distichon autem inscriptionis nostrae primum — de iambicis emendandis bene meruit F. Buecheler l. l. — desumptum est ex tristibus (I, 11, 11 sq.), quorum recordationem omnis tamen inscriptio prae se fert cf. trist. I, 1, 34. 2, 54 (ubi quod in codicibus legitur *solita,* hoc titulo haud scio an possis tueri) atque in libris manuscriptis sic exstat:

Seu stupor *huic studio,* sive est insania nomen,
Omnis ab hac cura *mens* relevata mea est.

Varietas vero lectionis sive incuria memoriaeque lapsu sive mutatione arbitraria sive interpolationis genere quodam late diffuso (petita enim potest esse ex rem. am. 484 *Et posita est cura cura repulsa nova* cf. am. I, 8, 80 *vanescet culpa culpa repensa tua*) orta est, hoc certe testimonio fides codicum, quam sententia ipsa defendit, non potest infringi. Nec singulare hoc nostrae inscriptionis est vitium, sed idem in eis versibus occurrit, quos ex poetarum Augusteorum carminibus in parietibus Pompeianis adscripti adpictique sunt (ad eos versus, quos collegit L. Mueller in Tibullo suo, p. 63 sq. addendus Prop. II, 5, 9. 10 cf. Bulletino dell' Inst. arch. 1875, p. 191; cf. etiam M. Hauptii op. III, p. 201 sq.), ita ut ad rem criticam factitandam ex titulis aut nulla aut exigua redundet ad scriptores ipsos utilitas. Verum ut ad tristia redeam, pauca sunt, quae praeter L. Valeri epigramma ex inscriptionibus ad ea revocari possint; nam quae iam notabo, ex communi quodam poetarum inscriptionumque usu et formularum conceptarum consensu posse declarari non infitier. Cum C. I. L. VI, 1, 1372 (*Ille ego qui quondam* prae[tor] e. q. s.) comparari potest trist. IV, 10, 1 (*Ille ego qui fuerim*); sed solemnia haec apud Ovidium (cf. N. Heins. ad trist. V, 7, 55) et in inscriptionibus (cf. Wilmanns 600) et notissimis illis versibus Aeneidi (cf. O. Ribbeck proll., p. 65) praefixis pervulgata; gravius nescio an sit exemplum alterum, quod C. I. L. VI, 2, 13528 v. 15 legitur, ubi versus decimi quinti hoc est initium: *Quod fueram, non sum,* quod memoriam Ovidiani versus revocat, qui est trist. III, 11, 25, ubi (confer etiam Prop. I, 12, 11, *non sum ego, qui fueram*) ex Guelferbytano restitui: *Non sum ego, quod fueram,* cum ediderit R. Merkelius: *Non sum, qui fueram;* meae restitutioni Guelferbytani auctoritate receptae neque a re metrica (cf. a. II, 8, 13 et Prop. l. l. et Schultzii progr. Gedan. 1872, p. 13)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut ab usu dicendi (cf. trist. IV, 4, 10. V, 13, 26) improbabili firmamenti aliquid accedere gaudeo *Laberi vatis* inscriptione, quae eadem etiam apud Maximianum — de eo infra disseram — I, 5 ex Florentino restituendum esse suadet: *Non sum, quod* (codd. cett. *qui*) *fueram.*

His autem de mentione tristium in inscriptionibus facta absolutis tandem ad auctores veteres ipsos redeamus, quibus in comparandis nimirum id maxime cavendum est, ne similitudo protenus putetur imitatio. Ex eis omnibus, si non temporum serie, at certe exemplorum multitudine primus nominandus est Martialis, cuius de studiis Ovidianis peculiari libro egit A. Zingerle, Oenoponti 1877, ex quo, quae sequuntur, pleraque elegi; docuit autem vir hic doctissimus p. 37, ut etiam Manilius fecit et postea Ausonius, Martialem posteriora Ovidii carmina habuisse in deliciis. In enumerandis similitudinibus hic quoque a prima tristium elegia, cf. Zingerle, p. 27, initium capiatur: cf. trist. I, 1, 1 sqq. III, 7, 6, cum M. III, 4. 5. trist. I, 1, 59 M. XII, 3, 2. trist. I, 1, 28 M. XII, 3, 16; cf. etiam trist. III, 7, 1 M. I, 70, 1; trist. III, 1, 17 M. II, 8, 1 (trist. III, 1, 13 M. XIV, 205, 1); singula communia habent trist. I, 2, 106 M. V, 42, 6; trist. I, 11, 3. II, 491 M. II, 85, 3. IV, 19, 3; trist. V, 7, 14 M. VI, 10, 8; trist. I, 2, 41 M. VII, 15, 3 cf. a. a. II, 605; trist. I, 10, 1 (*Est mihi sitque precor*) = M. IX, 18, 1.; trist. I, 7, 2 *(Bacchica serta comis)* M. VII, 63, 4 *(Bacchica serta comae)*: hac Martialis imitatione de lectione versus decernitur, cum per se dubium sit, utrum *bacchica* an *bacchia* sit legendum: nam Marcianus sic corruptum vocabulum exhibet: ba$^{\text{chica m}^2}$hcia, ita ut a prima manu et *bacchica* (= Guelf. Goth.) et *bacchia* (III, 5, 15 M *brahcia* pro *brachia*) scriptum fuisse possit, quamquam neque Ovidius hanc formam agnoscit (met. III, 518 Marc. et Laur. *bacchica* ut legatur flagitant) et vox Graeca ipsa rara et ambigua est (cf. Ellendii lex. Soph. s. v. et G. Hermannum ad Eur. Bacch. 130) et veteres solam formam adhibent *Bacchicus* cf. Ennius trag. 152 V. = 111 R.; Naev. 35 R. Subiungam continuo alterum, quo Ovidii verbis auxilium fertur, locum Martialis: I, 15, 1 *O mihi post nullos, Iuli, memorande sodales,* secundum quem versum Ovidianum (trist. I, 5, 1) *O mihi post ullos nunquam memorande* (codd. recc. *numerande*) *sodales* ita mutavi, ut grammaticae Latinae legibus respondeat iubentibus codicibus nonnullis deterioribus et N. Madvigio (adv. crit. II, p. 96 cf. eundem ad Liv. IV, 21, 6 praef. vol. I, p. XXII s. f.). Tertio quoque loco Martialis testimonio forma versus Ovidiani confirmatur: trist. I, 6, 23 in Marciano exstare ipse notaveram, adseverante postea G. Vitellio: *nullo pia facta magistro* = Guelf., sed ita ut *nullo* totum sit in rasura et supra *o* litteram scripta sit *o* altera, cum in linea evanuerit; quid a manu prima fuerit, omnino ignoratur, quoniam, si una tantum littera fuisset mutanda — Goth. et codd. dett., secundum quos R. Merkel versum ediderat, exhibent *nulla-magistra* ex met. VI, 24 — non universum vocabulum erat eradendum. Itaque, si codicum fidem antestaris, ne id quidem constat, quod in editione nitidissima libri primi S. G. Owen (Oxford 1885) in M. se legisse affirmat *nulli;* litem dirimit Martialis lib. spectac. XVII, 3 *nulloque docente magistro* cl. a. a. II, 479 *nullo didicere magistro,* cf. Burs. nunt. ann. XLIII, p. 207 sq. Praeter hos locos conferendi sunt O. IV, 10, 128 M. V, 13, 3; O. II, 354 M. I, 4, 9. II, 22, 2. cf. Zingerle, p. 8; adscribo hosce: II, 116 *Imperium regat hoc cum seniore senex* M. VI, 3, 4 *Quique regas orbem cum seniore senex;* trist. IV, 10, 8 *Non sum fortunae munere factus eques* (cf. a. III, 15, 6) M. VII, 64, 2 *Et post hoc dominae m. f. e.;* trist. II, 370 *Et solet hic pueris virginibusque legi* M. III, 69, 8 *A pueris debent v. l.;* trist. II, 478 *Cum medius gemino calculus hoste perit,* cf. a. a. III, 358, M. XIV, 17, 2 *Calculus hac gemino discolor h. p.*

Rariores apud Homerum Latinum, quem nunc rectius Italicum dicas eundemque esse putes ac Silium Punicorum auctorem, Maniliumque loci tristium inveniuntur: de illius exemplis legendum est R. Doeringii programma Argentoratense (1886) *De Silii Italici Epitomes re metrica et genere dicendi,* de *Manilii elocutione* A. Crameri dissertatio Argentoratensis (1882 = dissertationes philol. Argent. VII, p. 59—145), quorum uterque laudabili diligentia officio suo perfunctus est. Italici versus 1046 sq. (1041 sq.) *sortis reminiscere victor humanae,* qui Homerico exemplo caret, expressum esse vult Kootenius secundum trist. III, 11, 67, quem versum etiam auctori periochae Iliadis (lib. XXIIII) obversatum esse vult R. Peiper (Auson., p. 391), singularem autem locutionem (cf. de aliis R. Doeringium l. l. adv. 28.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

171. 229. 252. 360. 420. 436. 696. 722. 733. 1069), quae est *in hostem cadere* (v. 369 cf. 721) Italicus desumpsit ex Ovidii tristibus I, 5, 23, quem locum egregie ille ipse suscipit defendendum a N. Madvigii suspicione (adv. crit. II, p. 96), qui negat *cadere in hostem* sic dici, ut sit *incidere* cf. Ind. philol. XVII, p. 55. Manilius vero qui incerto nomine dicitur, ut ad Vergilii Ovidiique exemplum orationem suam maxime conformavit, ita si non multa at certe non nulla ex tristibus deprompsit, quae etiamsi non valere posse iudico ad aetatem eius scriptoris ab alio nullo commemorati, a paucis adhibiti definiendam, hoc tamen ostendunt scripsisse eum post tristia edita: ut omittam singula, quae Cramer p. 62 sqq. et p. 70 sqq. collegit de eis, in quibus maxime in fine versum cum Vergilio Ovidioque consensit, conferenda esse puto haec, omnia a Cramero congesta: Man. I, 411 (Canicula) *Tinguitur Oceano* = trist. I, 4, 1; Man. I, 329 *Tunc silvas et saxa trahens* (Orpheus) trist. IV, 1, 17 sq. *Cum traheret silvas Orpheus* et dura canendo *saxa;* Man. II, 165 Dissimile est illis iter *in contraria versis* trist. I, 3, 75 Sic doluit Mettus tunc, cum *in contraria versos* . . habuit equos; M. IV, 83 *Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres* trist. II, 319 Cur tacui Thebas et *mutua vulnera fratrum* cf. met. III, 123. VII, 141; M. V, 184 *canibus nova praeda fuit* (Actaeon) trist. II, 106 (Actaeon) *Praeda fuit canibus* (nota hanc etiam in quinto libro imitationem tristium).

Sequatur P. Papinius Statius, quem quin suo iure I. Marklandus (ad silv. I, 2, 251) vix plura ex Vergilio quam ex Ovidio sumpsisse censuerit, nemo dubitare potest, qui G. Luehrii (*De P. Papinio Statio in silvis priorum poetarum Romanorum imitatore;* diss. Regiomont. Brunsbergae 1880) et B. Deipseri (*de P. Papinio Statio Vergilii et Ovidii imitatore* diss. Argent. 1887 = diss. phil. Argentor. vol. V) libellos perlustraverit: is primus exilium Ovidii commemoravit silv. I, 2, 252 sq.:

hunc ipse Coo plaudente Philetas
Callimachusque senex Umbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem, *nec tristis in ipsis*
Naso Tomis divesque foco lucente Tibullus

et Tomitana quoque carmina, ut cetera, etiamsi ceteris rarius, imitatus est cf. R. Merkelium ad II, 413. III, 5, 11. 7, 18. conf. silv. V, 2, 28 *bibe talia* pronis ‖ *Auribus* trist. III, 5, 14: *auribus illa bibi* (cf. etiam Venant. Fortunat. c. VI, 5, 292 *Auribus aut avidis ultima verba bibi* et Sidon. Apollin. c. XVI, 126 *bibat auribus*); theb. VIII, 124 sq. trist. III, 5, 33 sq. (Deipser p. 90). Ceteri saeculi illius poetae neque praeclariores, ut Lucanus, de quo confer J. Obermeieri progr. Gymn. Maximil. Monachiensis 1886, p. 79 et A. Zingerle, stud. Vindob. 1884, p. 62, 15. 65, et quae ego attuli in Burs. nunt. annal. XXXI (1882, II), p. 271, Silius, cuius imitationes Ovidianae — de Iliadis epitome dixi supra — collectae sunt ab E. Wezelio in dissertatione Lipsiensi 1883, Valerius, qui totus est in Vergilio exprimendo ut Persius in Horatio, Iuvenalis, quem alia Nasonis carmina legisse constat (cf. E. Strube, progr. urb. Brandenburg. 1875, p. 7 sqq.), utpote in genere nimis diverso, etsi Ovidium, metamorphoses maxime et fastos, saepius attigerunt, tamen notabiliorem ullam tristium exhibere videntur imitationem nec minores inferioresque ut Lucilius, quem vocant, in Aetna, quamvis saepius ab aliis decerpserit versuum ornamenta, aut Calpurnius, cuius auctores — plures, opinor, quam erant — adscripsit in editione sua H. Schenkelius (cf. p. 75), quamquam ne hic quidem nec in bucolicis nec in Laude Pisonis, si modo recte a M. Hauptio haec ad illum refertur, suus ac proprius est; nisi forte comparare vis ecl. IV, 23 cum trist. IV, 10, 21; IV, 93 sqq. cum trist. II, 69 sqq.; I, 84 cum II, 221. Sed etiamsi non expresserunt poetae illi carmina ipso lugubri tenore a suis abhorrentia, tamen ex communi illo poetici sermonis fonte ipsi quoque multa hauserunt, quae non inutilia esse ad verba poetae recte tractanda uno saltem declarabo exemplo. Trist. I, 8, 41 sq. sic edidi

Et tua sunt silicis circum praecordia venae,
Et rigidum ferri semina pectus habet;

in hexametro Marc. habet: *silices . . . neve,* quae corruptela per se absurda interpolationis facta est causa in Guelferbytano exstantis: *silices . . . nati,* cum in Gothano recte legi *silicis — venae* et versus Ovidianus doceat am. I, 11, 9 *silicum venae* [cf. a. III, 6, 59 met. I, 410. trist. III, 11, 4. Prop. I, 16, 29]

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

et locus Aetnae (260) *aurea vena* et panegyrici (225) *generosi vena metalli;* in pentametro A. Riesii coniectura per se haud improbabilis *(tegmina)* refutatur eodem Aetnae versu 260, *quaeritur argenti semen* in quo versu ut apud Ovidium *semen* et *vena* coniungitur, quemadmodum, aliter sane, coniunxit Ovid. met. XI, 144 *semina iam veteris venae;* sed utrumque ad Lucretianum dicendi redit morem, qui *argenti venas aurique* dixit VI, 808 et *semina rerum* e. q. s. a. saepissime: confer F. Pollii mei disputationem *de artis vocabulis quibusdam Lucretianis,* Dresdae (progr. gymn. Vitzth.) 1866, p. 14. Vidimus supra in Martialis exemplis ad primam maxime tristium elegiam sese applicavisse illum infraque saepius eandem aliis obversatam esse videbimus: nec vero minus ea placuerunt posterioribus carmina, quibus poeta procellae tempestatisque pericula (I, 2. 4. 11.) descripsit, unde quotiens alii primi p. Chr. saeculi poetae sua petiverint qui cognoscere vult, is adeat C. Liedolfii dissertationem Lipsiensem (1884), de qua egi in Bursiani nunt. annal. XLIII (1885. II), p. 178.

Ex secundi post Christum saeculi testibus primus prodeat auctor elegiarum in Maecenatem (anth. lat. 779. 780 R = PLM. II, p. 125—136), qui lectitandis Augusteae aetatis carminibus singularem navavit operam, etiamsi, quam Th. Birtius in Mus. Rhen. XXXII, p. 397 invenisse sibi visus est I, 69—86 imitationem nonae heroidis Ovidianae, non agnosco, cum magis Propertii (IV, 11, 17 sq. V, 8, 17 sq.) et metamorphoseon exstare mihi videantur vestigia. In his elegiis conferendi mihi videntur cum tristibus hi versus:

779, 38 Vivitur ingenio, cetera mortis erunt (contulit Ae. Baehrens Prop. III [IV], 2, 23)
trist. III, 7, 44 Nil non mortale tenemus | pectoris exceptis ingeniique bonis.
780, 27 Vive diu, mihi care, senex pete sidera sero!
trist. II, 57 Optavis, *peteres* caelestia *sidera tarde*
780, 29 Et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni . . .
31 Sit secura tibi cum primis Livia coniunx,
Expleat amissi munera rupta gener
trist. II, 161 *Livia* sic tecum sociales *compleat* annos
165 Ut faciuntque tui, sidus invenale, nepotes
Per tua perque sui (Marc. *tui*) facta parentis eant.

Haec si cui longius petita videntur, is secum reputet, quam diversa fuerit ficta ea, quam tetigit elegiarum scriptor, rerum condicio et ea, quam Ovidius explicavit. Sed ne ipse quidem multum his similitudinibus tribuo; si verae sunt, etiam in tristium imitatione, ut in aliis generibus similis ille est ei, qui consolationem ad Liviam scripsit (cf. Ae. Huebner, Hermes 1878, p. 154 sqq.), qui, ut alia praeteream, duos totos suis inseruit tristium versus: 120 = trist. I, 3, 42; 362 = trist. II, 426.

Longum altumque post hos apud auctores de tristibus silentium, nec tamen id mirum in maxima illa poetarum paucitate: quarto demum p. Chr. saeculo occurrit, qui ad tristia imitanda se iterum contulerit idemque primus inter poetas christianos, Optatianus Porfyrius, versuum pangendorum artifex profecto mirabilis, in pari fortuna tristium memoriam resuscitans. Huius carmen primum totum est in exprimenda elegia primi libri prima; quem tamen ad Porf. VI, 35, nescio qua de causa, venditavit L. Mueller pro Ovidiano (Ou. in trist. *nubila cum venient turgida, solus eris*), eum apud Ovidium frustra quaeras; Ovidius enim scripsit: *Tempora si fuerint nubila, s. e.* (trist. I, 9, 6). Eandem primam tristium elegiam imitatione expressit, qui ad Theodosium imperatorem carminum collectionem misit praefixo carmine (cf. Cornel. Nep. ed. C. Halmius, p. 101. Anth. lat. II, 783 R. C. Lachmanni scripta min., p. 188. O. Iahnium, nunt. soc. litt. Sax. 1851, p. 343), ex quo mirum est quot nati sint errores.

Neque vero nullum tristium invenitur vestigium apud eum, qui recte ac merito in celeberrima illa inscriptione (C. I. L. VI, 1, 1710) *praecloriosissimus poetarum*, qui Vergilii mentem musamque Homeri in se uno coniunxerit, appellatur, Claudianum; cuius in exemplis, quae nunc Steph. Gramlewiczius (diss. Vratislav. 1877) composuit, Vergilianis aucta in editione sua repetiit L. Ieepius, tristia habenda esse equidem arbitror. Nam ut dubium sit, num iure Claudiani versus nonnulli componantur cum tristibus cf. in Ruf. I, 240 (trist. III, 4, 93), 297 (trist. V, 5, 47) *in Eutrop.* II, 414 (trist. III,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

10, 26), uno certe carmine, nimirum eo, quod *deprecatio ad Hadrianum* inscribitur = carm. min. V (XXXIX), quo, ut olim Ovidius ab Augusto, ab homine praepotenti Claudianus *veniam confessus crimina poscens* Hadriani ut animum flectat, in fortuna illa Ovidiana exempla affert eadem, quibus usus erat Ovidius trist. III, 5, 37 sqq., Achillis Hectori mortuo ignoscentis et Alexandri Magni Darium a Poro interemptum funeris honore prosequentis, novis tamen additis duobus, quibus videlicet rem fusius explicaret; quid, quod et eiusdem elegiae sententiam ibidem mutuatur (v. 29 cf. trist. III, 5, 33 sq.) et locum antecedentis elegiae tangit (cf. v. 35 trist. III, 4, 5 sqq.) et comparationem Ovidio sollemnem adhibet (cf. v. 46 trist. I, 1, 100. II, 19 sq. V, 2, 15 sq.). Ac ne haec quidem imitatio ad manum poetae restituendam nullius est momenti novoque testimonio Marciani fidem comprobandam: nam quod in hoc solo servatum est *Dareique* Claudiani versu septimo decimo confirmatur; optime autem versus hic docet, quomodo ex corruptelis orta interpolatio in verba poetae saevierit ac ne Guelferbytanum quidem hac sive fraude sive culpa esse liberum: nam pro corrupto archetypi vocabulo (in M. legitur *portus*) semel mutatione intrusa (fere omnes codd. exhibent *pharos*, Guelf. *faros*) *Dareique* non iam poterat intellegi atque in omnibus fere codicibus in *Praeclarique* conversum est; Guelferbytani vero librarius, suo puto Marte, copulam *(que)* omisit, ut quamvis vetante metro, *faros* pro obiecto quod dicunt qualicumque ratione referri posset ad *docent*.

Stilichonis laudatorem dissertissimum ipse infestissimus eiusdem adversarius excipiat Rutilius Namatianus, homo, ut novissimus eius recte dicit editor, liberaliter eruditus optimisque poetarum exemplis innutritus; qui, ut saepius Ovidii tristia sibi proposuisse eum iam R. Merkelius vidit, ita unum versum totum inde arripuit I, 5:

O quater (sic N. Heins.; *quantum* cod. et edd.) et quotiens non est (sic N. Heins.; Vindob. *possum*; ed. Rom. *possem*) numerare beatos = trist. III, 12, 25.

Cum omne de Rutilio iudicium ex Vindobonensi Sannazarii exemplari et editionibus saeculi sexti decimi pendeat, difficile est diiudicare, num Rutilius initio versus re vera scripserit, quod vulgata exhibet, N. Heinsius correxit, *O quantum*, cum idem error nisi optimorum librorum auctoritate ne apud Ovidium quidem possit refutari; nam et hoc tristium versu (*O quater* est in Guelf., in Bern. 478, quem ipse partim contuli, in Turonensi 879 saec. XII, cuius partes in meum usum contulit A. Schoenius meus) inrepsit in libros longe plurimos, etiam in Marcianum Politiani, cuius collationem in exemplari editionis Venetae (1488) Monacensi exstantem transcripsi, et a. a. II, 447 omnes codices, praeter Regium et quatuor alios, corruptela illa quasi blandior obsedit. Hoc vero dubium esse non potest, quin et Rutilio et Guelferbytano, una cum Bernensi ac Turonensi, fideiussoribus explodenda sit Palatini foedissime interpolati lectio: *O quater, o quotiens*, quam in editione mea nunc piget me retinuisse, cum plus tribuerem imitatori alteri, Theodulfo, Caroli Magni aequali, qui in carmine de iudicibus v. 369 haec habet:

O semel, o quater, o numeri sine lege beatum

cf. Bursiani nunt. annal. XLIII, 1885. II.; sed quamquam hic quoque versus speciem Ovidianam prae se fert, tamen Rutilius propius ad ipsam auctoris similitudinem accessit.

Firmiorem etiam cum tristibus contraxit familiaritatem Ausonius: quam diligenter ille legerit Ovidii metamorphoses ipse indicavit alios cum indignatione interrogans epigr. LXIIII (69), 8: *an vos Nasonis carmina non legitis?* quotiens tristia imitatus sit, intelliges ex C. Schenkelii indice et R. Peiperi adnotationibus, Mosellae similitudines iam A. Zingerle (zu späteren lat. Dichtern p. 41) recte indagavit. Ex huius quoque exemplis unum afferam, quod facit ad Ovidii emendationem. Scripsit Ausonius epist. XIX (p. 189, 33 Sch.)

Audax Icario qui fecit nomina ponto

quocum conferendum est trist. I, 1, 90

Icarus aequoreis nomina fecit aquis.

Sic enim versus — idem coniectura adsecutum esse A. Politianum nota editionis supra laudatae docet — in Gothano a manu prima legitur, cum manus altera scripserit: *iquareas nomine fecit aquas* = Guelf.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

equo(yca$^{m^2}$)reas n. f. aquas. Hanc autem lectionem, quamquam eam R. Merkelius in editione Reimeriana restituerat et in notis marginalibus postea denuo commendavit atque ipse R. Ellisius, vir doctissimus et de Ovidio optime meritus, nunc similiter in Ibide 492 edidit ex Galeano saec. XII *Euboicasque suo nomine fecit aquas,* tamen ego intolerabilem puto atque utique reiciendam, cum *aquas aequoreas* (vel *icareas*) *nomine facere* neque Latinum sit et ab omni dicendi ratione abhorreat: accusativus *(aequoreas aquas)* ut stare posset, scripsisset poeta oportebat *de nomine* cf. met. VII, 381; interpolatus autem versus est ex trist. III, 4, 21 *Icarus inmensas nomine signet aquas.* Gothano tamen ut fidem habeamus, et Ausonius suadet — *aequoreo-ponto* scribere ille sane suo versu non potuit — et sermo Ovidianus cf. fast. III, 870. IV, 284 *(Icarus . . vastae nomina fecit aquae)* met. XIV, 615. Verg. georg. I, 137 etiam fast. I, 597 *(et mortem et nomen Druso Germania fecit),* denique, qui locus omnem eximet dubitationem, Ibis 361 et 368

*infamem*que locum sceleris quae *nomine* fecit . . .
qui nova *Myrtoae nomina* fecit *aquae.*

aequoreas autem, non *icareas* legendum esse Gothani et Guelferbytani, qui codices duarum codicum familiarum duces ac signiferi sunt, consensus evincit.

Cum Ausonio nominandus est amicus eius ac discipulus Paulinus Nolanus, cuius carmen nonum ad Ausonium scriptum qui legat, cui non in mentem venit trist. IV, 7? ad versum Paulini quartum: *nulla tua vidi scripta notata manu* cf. Ovid. her. I, 62. III, 2. a. I, 11, 14. a. a. II, 596. Hic ipse autem Paulinus alterius cuiusdam poetae revocat memoriam, cuius carmen tam pium quam rude inmodico odio lacessit Nicomachum Flavianum, praedicans victoriam imperatoris Theodosii: carmen hoc, ex quo Leopoldus Delisle primum ex codice vetustissimo clarissimoque Prudentii Parisino edidit, certatim viri doctissimi tractaverunt, nec tamen viderunt artissime illud coniunctum esse cum carmine Paulini ultimo quod dicitur, editum nuper denuo a C. Bursiano (Acad. litt. Bav. cl. phil.-hist. 1880, vol. I, 1, p. 3 sqq.) magistro olim dilectissimo. Hoc nunc indicasse satis habeo; in carmine tamen ipso, in quo Vergilianis maxime flosculis suam barbariam tegere nititur rabidus Christianae fidei vindex, unius versus exitus Ovidianus esse videtur: nam quod v. 104 dicit *stridentia plaustra,* id eadem versus sede exstat trist. III, 10, 59, quamquam peti potuit etiam ex Verg. georg. III, 356, quemadmodum *latrator Anubis* (95. 100) desumi potuit ex Aen. VII, 390 aut Ovid. met. IX, 690.

At contra Prudentius, sollers poeta atque elegans (de imitationibus eius cf. Obbarii praef. p. XVI), ab Ovidio omnino videtur abstinuisse nec ad Iuvencum Arevalus aut ad Sedulium I. Huemerus tristium adscripserunt exempla, quamvis neuter poeta orthodoxus fugiendum Ovidianae levitatis contagium ratus omnem Ovidii imitationem reformidaverit. Quantum autem ego existimare possum, idem de hoc utroque, quod de multis primi p. Chr. saeculi scriptoribus iudicandum est, etsi non aperta claraque extent, quae ex tristibus in carmina sua illi inseruerint, tamen esse, quae cum illis habeant communia: de Sedulio unum quidem attuli exemplum in Ind. philol. 1880, p. 95, apud Iuvencum singularia quaedam sunt conferenda: I, 25 *certa fides* = trist. IV, 3, 14 (in ceteris Ovidii locis non eandem habet vim) I, 47 *adstrata* = trist. I, 3, 43 (hoc loco vocabulum illud codicum Guelf. et Goth. vestigiis et metamorphoseon loco II, 343 fretus recepi) II, 631 *irrevocatus* = trist. II, 246 (ubi, alia tamen significatione, restituit R. Bentleius) III, 246 *non fuerit vacuum vobis* = trist. II, 239 *si — vacuum tibi forte fuisset,* ut scripsi secundum Guelferbytanum, cuius lectio proxime ad Marcianum accedit. — In poetis christianis minoribus si quae forte conferenda sunt, ea adnotata habes in editione Vindobonensi. Nec nominat nec affert tristia, ut hunc quoque commemorem, Sanctus Hieronymus (cf. Ae. Luebeck, *Hieronymus quos noverit scriptores* etc., p. 191 sq.); quae ex Suetonio ad Eusebium de poetae anno natali adscripsit (cf. A. Reifferscheid, Suet., p. 49) num ille ipse ex Ovidio (trist. IV, 10) hauserit, etsi verisimile est, tamen demonstrari nequit.

Ex saeculo quinto laudetur Sidonius Apollinaris, omnem priorum temporum et doctrinam et poesin amplecti cupiens, qui quamvis Statio et Claudiano imitando potissimum intentus tamen cum alios tum Ovidium (metamorphoses maxime) non neglexit et bis exilium Tomitanum commemorat:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

IX, 269 sq. Non qui tempore Caesaris secundi
Aeterno incoluit Tomos reatu —
et XXIII, 159 sq. Et te carmina per libidinosa
Notum, Naso tener, Tomosque missum.

nonnullosque tristium versus, quos vide in E. Geisleri collectione editioni Luctiohannianae affixa, ipse imitatus est. Sed apud aequalem eius Dracontium, ne in satisfactione quidem, cuius simillimum libri tristium alterius argumentum est (cf. satisf. 175 et trist. II, 47 sqq.), vix ullum eorum deprehendes vestigium, etiamsi alia Ovidii carmina noverit cf. I, 6 Ovid. fast. II, 85. — II, 190. met. IV, 103 sqq.; alia vide apud C. Rossbergium progr. Nordae 1880, p. 21 sq.

Saeculi sexti testem habeo Maximianum, Boethii amicum, Theoderici regis Constantinopolin legatum, qui versus suos verbosos ac tumidos — omnes equidem unum carmen efficere arbitror continuum — decore exornaturus cum Horatium Propertium Tibullum (horum quoque elegiacorum si quis in historiam inquirat, certe non tam obrutam fuisse memoriam eorum possit docere, quam fere credunt) Martialem, tum Ovidium exprimebat, atque in prima, quae fertur, elegia tristia potissimum, in quinta amores: versus singulos tristium satis multos cum Maximiano contulit Wernsdorfius, quibus adde, sis, 3, 41 = trist. IV, 3, 14. 3, 44 = I, 2, 33. cf. etiam p. 9. — Etiam Venantium Fortunatum et Corippum inter tristium lectores referendos esse, apparet ex eis, quae M. Manitius, vir egregia cum laude in hoc litterarum genere versatus, in F. Leonis et B. Kruschii editione Venantii II, p. 135 sq. et post accurata R. Amanni de Corippi exemplaribus studia (progr. Oldenburg. 1885, p. 17 cf. etiam progr. 1888, p. 15) in actis gymnas. Austriac., vol. XXXVII (1886), p. 97 sq. diligentissime collegit; Corippi quidem imitatione in laude Iustini III, 147 *sanctum et venerabile nomen,* ad quam Paulini Petricordiensis testimonium (vita Martini II, 236 *sanctum et venerabile signum*) accedit, proborum codicum trist. I, 8, 16 lectionem veram esse docetur, ubi cum R. Merkelius edidisset

Illud amicitiae sanctum ac venerabile nomen

ipse scripsi *sanctum et venerabile,* cum. Marc. et Guelf. *et* exhibeant (Goth. copulam omnino omittit), quod flagitat Ovidii elegantia cf. M. Hauptii opusc. I, p. 107.

Post hos instauratam tristium mentionem ea demum inveni aetate, qua, ut suo iure ait Naso poeta (Poetae aevi Carolini ed. E. Duemmler I, p. 385)

Aurea Roma iterum renovata renascitur orbi,

qua ut Carolus rex imperium Romanum restituere studuit, ita, quos undique in aulam suam convocavit, poetae litterarum veterum gloriam, cohortante rege, de quo verissime ac iustissime Theodulfus (c. XXXVI, 24 sq.):

Artibus ingenuis rite alimenta paras.
Has et amas et amare iubes recreasque fovesque,
Gurgite de illarum pocula larga bibis.

Nec tamen a principe poetarum illorum, Alcuino, ne in eis quidem carminibus, quorum argumento (cf. e. g. c. XXIII. XXXIV. LV) ad imitationem illorum poterat invitari, tristia nominantur aut adhibentur, quamquam semel Ovidium (a. a. II, 280) laudat (cf. Mon. Alcuin. ed. Jaffé p. 282) in epistula ad Angilbertum, qui Homerus audiebat, ut illius aetatis mos erat nomina tam Romana Graecaque quam biblica ad singulorum personas notandas repetentis; neque, quod minime praetereundum est, in describenda Eboracensis scholae, cui praefuit olim Alcuinus, bibliotheca (cf. Alcuini *versus de Sanctis Euboricensis* ecclesiae v. 1535 sqq.) ullum Ovidii carmen commemoratur. Sed commemorat Nasonem *loquacem* inter eos libros, quos legere soleret (cf. c. XLV, 18), et imitatur tristia Theodulfus, egregius ut temporibus illis poeta, episcopus ante annum a. Chr. 798 Aurelianensis, qui cum ipse anno p. Chr. circiter 816 ‚synodali decreto episcopatu spoliatus in monasterium apud Andegavos relegatus' (cf. E. Duemmleri prooem. l. l., p. 439) esset, quod particeps fuisset coniurationis contra Ludowicum Pium factae, in carmine, quod ad amicum de exilio (c. LXXII) scripsit, ut olim alii, ad eum poetam exprimendum revertitur, qui omnia exilii mala perpessus ipsi quasi praeire posset

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in eo deplorando cf. A. Ebert, *Allgem. Gesch. der Litt. des Mittelalters im Abendl.* II, p. 82 et quae E. Duemmlerus adscripsit ad v. 17. (ad v. 15 cf. Ibis 113). 68. 91. 229. cf. etiam XXX, 1 et trist. III, 7, 1 sq. XLI, 114 trist. I, 9, 6. ib. 203 trist. III, 7, 43. cf. etiam supra p. 12. Unum addo, quoniam demonstrare mihi videtur, carmen quoddam, quod multi (cf. praef. editionis meae I, p. XI sq.) Ovidii esse negant, illa aetate iam lectum esse inter Ovidiana Ovidianumque esse putatum vel saltem aeque atque illa adhibitum: ex carmine enim tertii amorum libri quinto Theodulfus unum versum totum recepit in carmen XXXIII, III (6)

moverunt (codd. Ovidiani *terruerunt*) animum talia visa meum,

uti recepit ex aliis Ovidii carminibus a. a. III, 504 in c. 1, 82 et a. a. I, 36 in c. XXX, 62. Nec rariora, quam apud Theodulfum, apud Modoinum in eis, quae rescripsit Theodulfo (P. aev. Car. I, p. 569 sqq.), tristium sunt vestigia (cf. ad v. 9. 33. 38. 42; ad v. 41 sqq. cf. trist. II, 567 sq. ad v. 31 cf. trist. II, 563. 566.) et certior est mentio: nam cum inde a versu 47 sqq. eos enumeret, quos ‚Livor edax' ‚alta fremens' petiverit, initium capit ab Ovidio cum dicit:

Pertulit an nescis quod longos Naso labores,
Insons est factus exul ob invidiam.

Modoino autem nominato ultro ad eum ducimur, qui ipse pro more, quem supra commemoravi, Nasonis nomen sibi imponit, cum sint (cf. E. Duemmleri disputationem in Arch. Nov. soc. hist. Germ. ant. XI, p. 80), qui Nasonem illum neminem alium esse putent quam Modoinum ipsum, ‚fidissimum Ludowici Pii asseclam'. Is etsi in iuvenilibus carminibus ipsis bucolica maxime Vergilii et Calpurnii sibi proposuit imitanda, tamen in prologo et in epilogo etiam tristibus quaedam similia habet (cf. E. Duemmlerum l. l. ad prol. 5. 12. epil. 5. 9. ad v. 6 cf. etiam trist. II, 322.) ipse quoque simile Ovidiano fatum, quod forsitan ipsum nominis adsumpti causa fuerit, indicans hisce versibus (I, 62 sqq.):

Carmine Naso loquax iamdudum lusit inani;
Dicta peregrinis cumulavit plurima biblis
Caesaris invisam demens delapsus in iram,
Nequicquam variis mulcebant carmina verbis.

Modoini vero exemplum secutus est, ipse quoque exul, Ermoldus Nigellus, qui in carmine elegiaco *in laudem gloriosissimi Pippini regis* Argentorati brevi post annum p. Chr. 826 scripto (Poetae aevi Carol. II, p. 79 sqq.) hunc Ludowici Pii filium admonet, ut sui misereat; quo in carmine, quod maxime propter rerum Alsatiacarum descriptionem dignissimum est, quod legatur, poeta v. 181 sqq. regem ipsum solacii causa haec Thaliae, ipsius nuntiae, dicentem facit:

Parce, Thalia, precor: sunt nobis digna relatu
Carmina, quae noster exul habere velit;
Novimus exilio multos tolerasse laborem
Gentiles, fateor, ecclesiaeque viros,
E quibus ut valeas paucis cognoscere multa
Mente teneto, precor, quae tibi dicta dabo.
Exul ob invidiam quam multos *Naso labores*
Pertulit, haec tibimet nota, Thalia, manent.

qui versus etiamsi Modoini imitationem prae se ferunt, tamen tristia novisse Ermoldum (cf. v. 1 trist. IV, 10, 56; I, 1, 1. 15. III, 1; v. 45 trist. I, 1, 19; 47 trist. I, 1. 27 sq.; 175 trist. II, 185 — cf. II, p. 85, v. 4: *Carmine Naso placet atque poeta Maro;* 24 trist. II, 354) docere videntur, praesertim cum (cf. E. Duemmleri prooem. p. 2) etiam alibi carminum Ovidianorum eum lectorem fuisse appareat.

Proximi sunt temporis serie Hrabanus Maurus, doctissimus olim monasterii Fuldensis abbas, postea clarissimus Moguntinae sedis archiepiscopus († 856), et huius ipsius discipulus diligentissimus Walahfridus Strabus († 849), coenobii Augiensis praefectus, et Ermenricus Ellwangensis (c. 850), discipulus Walahfridi, quorum coniuncto testimonio in monasteriis floruisse tunc restitutam carminum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tomitanorum memoriam satis luculenter declaratur. Ac Hrabanum quidem, qui ipse *celsi* cantus *Ovidii* (c. X, 4 Poetae aevi Car. II, p. 172) praedicat, non uno loco tristium memorem videmus (cf. E. Duemmlerum ad c. VI, 10 [trist. I, 5, 36]. XI, 1 sq. [trist. III, 7, 1] XXI, 3. 7.); Walahfridus vero in carmine ad imperatorem Hlotharium (c. LXXVI, 62 sqq. Poetae aev. Car. II, p. 415), cuius partes semper fortiter secutus erat, dicit

sub frigore Naso
Congemuit Scythiae, Musarum ubi munere tantum
Excoluit, quantum Romanae moenibus urbis
Non faceret patriae praedulci nomine captus,

quae scripta videntur ad trist. IV, 10, 117. 1, 19. 88, Ermenricusque in epistula ad Grimoldum doctrinae undique congestae plenissima (ed. E. Duemmlerus, Halis Sax. 1873, p. 9) laudat versum tristium (I, 8, 23), quem versum ita scribit

Denique luguber vultus numquamque videndus:

nota formam *luguber* veteribus inauditam, cuius causa ipse versus laudatur, cum tamen in codicibus tristium omnibus sit *lugubres — videndos.* Alios noni saeculi scriptores sciens omitto; ex saeculo autem decimo afferendus esse videtur is, cuius versus ab eodem viro illo, qui de his studiis universis singulariter meruit, edita sunt in Novo Archivo II, p. 228 (cf. v. 26 et trist. III, 4, 25).

Nec tamen inter eos scriptores Ovidium fuisse, qui decimo saeculo in scholis tractari soliti sint, comperimus ex Vualthero Spirensi (cf. W. Harster, progr. Spirense 1877, p. 19 sq.), quo ‚rudissimis illis Ottonianis temporibus versus elegantius ac eruditius neminem scripsisse' B. Pezius editor eius iudicavit: hic quidem quo loco eos, qui a discipulis legebantur, recenset, Ovidium non commemorat, cum tamen si non omnia at certe aliqua eius opera lectores saeculo decimo habuisse constet Ekkehardi aliorumque poetarum imitatione et quod etiam historici, ut Liudprandus, versus eius adhibuerunt. Idem de saeculo insequenti dicendum est, ‚quo ubique fere per totam Italiam — ac non per Italiam solam — uno eodemque impetu recentia germina novae meliorisque litterarum aetatis pullulabant' (W. Giesebrecht, *de litt. studiis apud Italos,* Berol. 1845, p. 28); frequentes tum ubique exstitere carminum Ovidianorum imitatores: vide poema Alphani, monachi Casinensis, apud W. Giesebrechtium l. l., p. 52 sq., versus Eporedienses apud E. Duemmlerum, *Anselm. Peripat.,* p. 92 (cf. v. 298; vide etiam Acta antiquit. german. XIV, p. 244) R. Peiperi praefationem ad Waltharium, p. XXXIV, E. Voigtii adnotationes ad *Ecbasin captivi,* p. 28, C. Bursianum in Nuntiis acad. bav. Monacensis 1873, p. 472; quid, quod in titulo sepulcrali Widonis philosophi († die Maii VI 1095) legitur (cf. Arch. Nov. I, p. 181)

Leto Widonis cessavit Musa Nasonis.

Neque casu accidit, ut eiusdem saeculi sint vetustissimi, quos novimus, duo tristium codices, licet utriusque archetypus ad aevum Carolinum referendus esse videatur. In utrumque fortunae iniquitas, sed in alterum crudelius quam in alterum saeviit, cum alterius partes tantum, alterius nil nisi memoria exstet: ille Marcianus est Florentinus 223, continens (manus posterior initium finemque saeculo XIV addidit) I, 5, 11 — III, 7, 1 et IV, 1, 12 — IV, 7, 5, codicum, quotquot habemus tristium, unus omnium et antiquissimus et optimus, de quo infra fusius disserendum erit; hic in catalogo librorum saeculi undecimi commemoratur, quem A. Wilmannsius ex codice Palatino 828 in Musei Rhenani volumine XXIII (p. 408 sqq.) edidit; ibi inter libros, quos Bernardus quidam *proprio sumptu conscribi fecit,* ut videtur in dioecesi Osneburgensi, nominantur deinceps *Ouidius metamorphoseon. Ouidius tristium. Ouidius in amatoria.* Praeter hunc in catalogis undecimi saeculi, quos G. Beckerus collegit in *Catalogis bibliothecarum antiquis* (Bonnae 1885), nominatum invenies nullum; catalogus enim Ecclesiae Dunelmiensis (Becker, p. 242 n. 333: *Ovidius trist. cum Ovidio de Ponto*) est saeculi insequentis. Saeculo undecimo olim adscribebatur codex Bernensis, qui re vera saeculi est tertii decimi cf. H. Hagen, cat. lib. Bern., p. 367; quo tempore Politiani Marcianus exaratus fuerit [subscripsit ipse Politianus: *Contuli hos quinque tristium libros cum vetustis duobus codicibus, sed* v e t u s t i o r e *altero ex Divi Marci florentina bibliotheca*], quamquam non constat, tamen eum Guelferbytano vetustiorem fuisse non credam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Percrebruit autem tristium fama saeculis demum duodecimo et tertio decimo, quibus iam saepius ad transcribenda ea librarii sese accinxerunt et auctores ad exornandos suos libros adsciscere denuo ea coeperunt: veluti I, 8, 6 laudat Guilelmus Tyrius (saec. XII med. cf. Nov. Archiv. VIII, p. 97); saepius ea citat auctor lexici, quod primum edidit A. Maius in Classic. auct. vol. VIII. Ex theologis scholasticisque tum non semel ea allegant Iohannes Saresberiensis († 1180 cf. C. Schaarschmidt, *Iohannes Saresb.*, p. 99. 147. 208; etiam huic prima maxime elegia fuit exemplo) et qui centum fere annis post vixit Vincentius Bellovacensis, qui quae ex tristibus excerpsit, O. Richter in dissertatione Bonnensi (*de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis* 1865) collegit atque disposuit p. 36 sqq.; sed hic, praeterquam quod ipse versus Ovidianos immutat, etiam codicem sequitur maxime interpolatum, quod quamvis negarit O. Richter, tamen luce clarius efficitur III, 7, 42, ubi Vincentius legit:

Largitur quodcumque libet fortuna rapitque:
Fit gracilis subito, qui modo grossus erat.

Ridiculum sane exemplum ad fortunae volubilitatem demonstrandam, sed ad pingue librarii alicuius ingenium satis aptum, qui ne primis quidem labris fabulas aut historiam veterem attigerat (legendum enim erat: *Irus et est subito, qui modo Croesus erat!*) neque, poetae sententiae num constarent, quicquam pensi habebat.

Afferendus est etiam Sancti Melitonis Sardensium episcopi saec. XII et XIII commentator (Spicil. Solesm. II, p. 117. 127), qui laudat trist. I, 5, 25. 26 *(tempore sic dubio)* et ad exemplum trist. V, 11, 4 *(qui iam consuevi fortiter esse miser)* ipse hunc versum effinxit:

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Ex poetis vero aetatis illius — de anglicis poetis cf. C. Bartschii praef. p. IV — laudandi sunt Albertus Stadensis († 1265) et Poenitentiarii qui dicitur auctor, quem I. Grimmius (*Reinhart Fuchs*, p. CLXXXV) post a. 1200, E. Voigtius (*Kleinere Denkmäler zur Thierfabel*, p. 12) ante a. 1220 scripsisse docent: vides igitur, in utroque Latinae poesis epicae, quae saeculo XIII florebat, genere poetas, qui quidem disticha composuerint, tunc versatos esse in Ovidio imitando atque adeo depeculando, cuius carminibus quantopere tunc omnes delectati sint, vel inde perspicitur, quod tum denuo eius nomine etiam poemata tota ficta ferebantur (cf. F. Haasii programma *de medii aevi studiis philologicis* p. 17, et E. Voigtium l. l., p. 16, et quae C. Bartschius congessit l. l., p. VIII. XII; nescio an huius saeculi sint etiam ea, quae edidit H. St. Sedlmayer in studiis Vindob. VI, p. 149 sqq.). Illi autem non iam verborum flosculos aliquot carpserunt aut sententias nonnullas mutuati sunt ex Ovidii carminibus, sed disticha tota quacumque ratione subrepta ad usum suum accomodaverunt. Ad Troilum Alberti Stadensis nonnulla passim adnotavit primus eius editor Th. Merzdorfius (Lips. 1875) cf. I, 774 sq. = trist. V, 5, 49 sq. III, 122 = trist. IV, 3, 74. IV, 20 sq. = trist. V, 4, 8. 93 sq. = III, 5, 35 sq. 541 = trist. V, 8, 17 sq. V, 298 = trist. IV, 5, 22. 547 sq. = trist. II, 329 sq. cf. ad 694. 695 sq. 697 sq. 703 sq. e. q. s. a.; in Poenitentiario, qui etiam in Erfurtensis gymnasii programmate (1850) a F. Kritzio e codice Amploniano editus est, notavi haec: v. 198 = trist. V, 4, 7; 43 cf. V, 12, 59; 268 = trist. I, 9, 66; hunc autem versum, qui pessime ab editoribus vexatus est, Poenitentarii auctor exhibet ita:

Quo bene coepisti, sic pede semper eas!

Ediderat sic ex codice improbissimo Palatino primo, qui olim a R. Merkelio plurimi iniuria aestimatus est, aliisque interpolatis — falso enim Guelferbytani testantur auctoritatem — N. Heinsius eumque, post R. Merkelium, secuti sunt et A. Riese et editor Austriacus; sed etsi certatim lectionem illam receperunt, tamen vera non est. Et facile est in hoc versu videre quomodo interpolatio orta sit ac pedetemptim progressa: legitur in Gothano: *quo pede c. s. pede semper eas;* in Palatino sic, uti scripsi supra, i. e. item atque nunc in Guelf. *quo bene c. s. ped' s. e,* sed *ped'* in Guelf. scriptum est in rasura ita ut primo, antequam interpolator mutarit, in illo idem fuisse credendum sit, quod nunc esse dicitur in Marciano: *quo bene coepisti, sic bene semper eas;* sed si haec recipiatur lectio per se nihil iam offensionis habens, unum tamen vereor, ne restet mendum: nam in M. post *quo* unius lineolae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exstare rasuram, et ipse, cum conferrem codicem, notavi, et G. Vitelli affirmat et G. Meynkius, cuius nunc apud me est collatio, ita ut manus prima scripsisse videatur, *qua bene coepisti, sic bene semper eas:* hoc autem verum esse et sensus docet et exempla certissima ex P. III, 7, 20 *Parcaque ad extremum, qua mea coepit, eat* et fast. III, 477 *utinam mea sors, qua primum coeperat, isset* cf. trist. III, 1, 19. IV, 2, 49. ex P. II, 1, 35. her. II, 52. [Sall. hist. I, 51 (48), 16 *perge, qua coeptas*]; idem vitium sustuli propter Marcianum trist. II, 305. III, 4, 75 et cum L. Muellero a. a. I, 745 (cf. ib. 285); *sic,* de cuius adverbio usu Ovidiano alias dicendum est, item positum habes her. IV, 148. Unde autem illata sit interpolatio in codices saec. XIII, si quaeras, en, praesto est alter locus Ovidianus rem. am. 390 *tantum quo pede coepit, eat;* haec vero interpolationum origo quam saepe deprehendatur, iam supra saepius indicavi, cf. p. 8. 9. 13.

Etiam de eis, quos Albertus ex tristibus furatus est, versibus unus saltem dignus est, qui accuratius tractetur, cum ipse quoque aliquid difficultatis habeat et varie agitatus sit a criticis. Libri quinti versus 850—853 apud illum hi sunt:

Saxa meum refero rursus ad icta pedem.
Scilicet ut victus repetit gladiator arenam
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.

Desumpti sunt atque ad verbum repetiti ex tristium libro altero (16—18) secundum lectionem vulgatam: nam haec et v. 16 *meum* agnoscit et v. 17 idem, quod optimi quoque recte exhibent frustra a N. Heinsio mutatum, *ut.* Sed illud *meum,* quod tantum abest, ut in sententia ipsa habeat, quo commendetur, nedum flagitetur, ut contra plane langueat et supervacaneum sit, cum nemo dubitare possit, cuius pedem laesisse se poeta voluerit dicere, etiam a codicum auctoritate plane destitutum est: nam in Marciano non legitur *meum,* sed *malum,* quod etiam in aliis nonnullis est (Vat. I Pal. II. Polit. I. II) et in Guelferbytano videtur fuisse, in quo ex pristina scriptura sola littera *m* superest, manu secunda vel tertia supplente in rasura *eum.* Ipsum autem hoc *malum* cum quid sibi vellet, non perspicerent librarii et editores, aut tollere aut mutare studuerunt: inde et ea, quam R. Merkelius quoque in editione Reimeriana e codicibus plurimis recepit, nata est lectio (*saxa memor refero*) et ea, quam in Gothano vides, interpolatio (*lęsum saxa fero*). Sed ne primum quidem inviolatum mansit vocabulum: quippe C. Lachmannus (ad Lucr. p. 243) *Tecta malum refero rursus ad icta pedem* scribi iussit collato versu tristium V, 4, 34, et A. Riese (praef. ed. p. XXII) coniecit *sacra — ad ista,* quam ad coniecturam stabiliendam comparari possint a. a. III, 166. trist. III, 7, 34. IV, 1, 87. Tib. II, 5, 6. Verum ut de his mutationibus primum absolvam, neutra potest videri necessaria, cum *saxa* satis defendatur ab Ovidio ipso, qui trist. I, 1, 85 sq. dicit

Et mea cumba semel vasta percussa procella
Illum, quo laesa est, horret adire *locum.*

et epist. ex Ponto IV, 14, 21

Ad *veteres scopulos* iterum devertor,

quae metaphora quam pervulgata fuerit apud veteres vel inde cernitur, quod eadem sententia saepius apud scaenicos poetas occurrit et apud Graecos Romanosque venit in proverbium cf. Th. Bergkii opusc. philol. I, p. 114, qui scitissime attulit Plaut. mercat. 198 mostell. 677 tragic. Lat. rell. ed. O. Ribbeck p. 255 (incert. 140 *neque me patiar Iterum ad unum scopulum ut olim classem Achivom offendere*) et graecum proverbium: *δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν* (ci. Th. B. *αἰσχρὰ*) *προςκρούειν λίθον;* adde Ciceronis locum (ad fam. X, 20, 2): *culpa enim illa ‚bis ad eundem' vulgari reprehensa proverbio est,* quocum conferendum est Ausonius ep. XI: *tu ut tua culpa ad eundem lapidem bis offenderes.* Neque vero rectius id, quod est *malum,* temptatum est, quod etsi non potest esse positum interiectionis loco (de similibus cf. B. Dinteri progr. Grimmense 1865, p. 25 interpp. ad Verg. Aen. I, 251 R. Bentleii notam ad Horat. serm. II, 5, 79. Th. Fritzschii progr. Guestrow. 1877, p. 15) ut P. Burmannus, incertum suo an I. F. Gronovii iudicio ductus, suasit, quoniam nunquam nisi praecedente pronomine interrogativo (cf. I. Brix ad Plauti Menaechm. 390) in solo vulgari vel familiari sermone ad admirantis obstupescentisque in re in-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

opinata atque inepta affectionem significandam adhiberi Martha in disputatione castigatissima demonstravit (Revue de philol. III, p. 19 sqq.), tamen, quid *malus pes* sit, idoneo Catulli, qui iam a R. Merkelio laudatus est, testimonio declaratur, qui XIV, 21 sq.

Vos hinc interea ualete abite
Illuc, unde *malum pedem attulistis:*

est enim, ut recte Ae. Baehrensius interpretatur, *infaustus, sinister,* non *laesus,* uti voluit N. Heinsius. In prima igitur pentametri parte quae factae sunt coniecturae, eas omnes puto esse reiciendas; at residet mendum in altera, quod ut codicum quae videtur consensione protectum, ita ab interpretibus editoribusque, qui lectionem semel receptam iterare non desierunt, fere omissum est. Nam quid saxa *icta* sint, ego assequi me non posse ingenue profiteor, quemadmodum non intelligere sese professus est C. Lachmannus. Ad quae etsi cum specie aliqua probabilitatis conferri possit Ciceronis locus quidam pro Roscio § 79 (*scopulum offendis eiusmodi, ut* e. q. s.), si modo verba recte sunt tradita (nam Cicero in illa oratione saepius tragicos imitatus, cf. G. Landgrafii diss. *De Ciceronis elocutione in orr. pro P. Quinctio et Sex. Roscio conspicua* p. 15 sqq., ad tragici, quem supra commemoravi, exemplum locutum esse haud absurdum est opinari), tamen loco illi nihil tribuendum est, cum neque *offendere saxa* idem sit atque *icere,* neque ad sententiam Ovidianam quicquam intersit, utrum saxa icta vel laesa sint, necne, sed id praedicari oporteat, ad eadem, quae iam antea periculosa fuerint quaeque notare necesse sit, saxa *rursus rettulisse* pedem poetam. Diversissimus vero locus est is, quo F. Tankius (*De tristibus Ovidii recensendis* Stettini 1879) uti posse sibi visus est ad lectionem receptam tuendam (met. XIV, 739 *icta pedum motu — ianua*) propter ablativum, qui est additus. Attamen quid rectum sit iamdiu duo homines sagacissimi invenerunt: nam et R. Bentleius, cuius tam simplicissima quam luculentissima emendatio cum in editionis Oxoniensis volumine quinto non sit proposita (publici iuris facta est a I. Bernaysio Mus. Rhen. VIII, 5 sqq.) editores remotiora devitantes effugit, et N. Heinsius *ὁ πάνυ*, qui saepius cum divino critico Britanno inscius consensit (ne hunc quidem commemoraverunt editores) rem acu tetigit reponens: *saxa ista,* quod iam Puteanei codicis (saec. XIII cf. R. Merkelii praef. ed. mai., p. XXXII) investigasse dicitur librarius. Quid, quod hoc quoque loco Marciani per transennam adspicitur praestantia: nimirum non, ut ceteri fere omnes, *ad icta* habet, sed *addita,* pro qua corruptela etsi posterior manus infersit interpolationem vulgatam ex ipsa hac corruptela, ut puto, ortam, tamen genuinae formae quamvis oblitterata translucet imago, ut translucet I, 11, 31, ubi ex Marciani vestigiis perturbatis (*avidę ad ethera penne*) M. Hauptius indagans verum (*avidaeque adsueta rapinae*) vulgatae interpolationis fucum certissima restitutione abstersit.

Ad emendationem igitur Ovidianam haud multum seu potius nihil ex poetis saec. XIII proficitur; videlicet repraesentant vulgatam quae dicitur lectionem codicum interpolatorum et ipsi ad suum arbitrium versus Ovidianos immutant, quemadmodum fecit Albertus VI, 547 (*rediit* pro *ridet*) 885 (*latitat* pro *latuit*) V, 853 (*procumbere* pro *subsidere*). Ac ne in eis quidem Ovidii carminibus Alberti poemate iuvamur, quae plurimum aliunde auxilii exigunt, heroidas dico epistulasque, de quibus etsi hic exponi non potest, tamen hoc addere liceat, ne ab Alberto quidem, qui plurima ex epistulis XV et XVI arripuit — de Conrado Wirceburgensi eadem omittente cf. C. Bartschium l. l., p. XXVII, vide etiam ib. p. XXXIII —, ullum versuum expressum esse eorum, quos ipse reduxi in epistulam XV (39—142), quorum vestigium quamvis tenue indicatum est ab H. Dungero in libro praeclaro de fabula belli Troiani (Dresdae 1869), p. 76 sq.

Reviviscens vero tristium studium et succrescente codicum multitudine et aliis indiciis declaratur. Atque coeperunt quidem tum etiam de vita quaerere Nasonis, de qua quae alios comperire voluit, ipse elegantissime enarraverat trist. IV, 10: inde sua hausisse ei videntur, quos nominavit C. Bartschius, p. 41 sq. — fabulosa ea, quae de Ovidio in nave, qua periturus erat, Troianum bellum scribente produntur, ficta esse puto secundum trist. I, 11; bellum autem Troianum ab eo scriptum putatum esse opinor, quod Sulmo ei patria erat a Solymo Troiano condita —, certe hausit is, cuius versus trochaicos ex codice Bernensi 512 saec. XIII publici iuris fecit H. Hagen (carm. med. aevi, p. 207 sqq.); qualia

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

postea commenti sint interpretes, vide apud H. St. Sedlmayerum in studiis Vindobonensibus VI, p. 142 sqq. Iam vero etiam in carminibus sermone vernaculo conditis, ut passim iam saeculo priore, tangi tristia tum coepta sunt (cf. C. Bartsch., p. XLII) itemque legi in scholis: Hugo quidem Trimbergensis, magister Bambergensis, — etiam in carminibus germanicis ea adhibet — in *registro multorum auctorum*, quod in usum scholarum c. 1280 composuit, (cf. nunc I. Huemer, Nunt. acad. Vindob. class. phil.-hist. CXVI, p. 147 sqq.) v. 80 sqq. haec dicit:

Sequitur Ovidius letus et facetus
Sententiarum floribus multimodis repletus;
Eius librorum ordines si quis scire querit,
Perlectis his initiis ipsorum certus erit;

deinde affert initia heroidum amorum artis amatoriae remediorum fastorum metamorphoseon *tristium* epistularum ex Ponto Ibidis; quae C. Bartschius ex carmine, quod Renner inscribitur, affert, repetita sunt ex trist. III, 4, 25.

Sed omnes eos, quotquot tristium studuerunt imitationi, longe superavit saeculo quarto decimo i. e. ipso renatarum litterarum initio, ultra quam aetatem producere nolui hoc commentariolum, Albertus Mussatus (de quo cf. I. Burckhardii *Kultur der Renaissance* I³, p. 172), Dantis aequalis, poeta coronatus, qui post maximos honores e patria exul *ad filium* centonem ex tristibus composuit, uti in metamorphôsesin interpretandis, qui eodem saeculo floruit, fecit Robertus Holkot (cf. F. Haase l. l., p. 22); carmina Mussati una cum eiusdem Historia Augusta Henrici septimi edita sunt Venetiis 1636, qui liber cum rarior sit, ut et Mussati cum sollertia ac doctrina tum neclegentia perspiciatur et ipsa haec disputatio luculento imitationis Ovidianae exemplo concludatur, versus primos viginti quattuor adscribam appositis Ovidii versibus, ad quos illi sunt facti:

Cento
Ex P. Ovidij Nasonis libris V De Tristibus
Ad Filium

Fili, *nostrarum* residens *fiducia rerum*[1])
Fortunę memorem te decet esse meae[2])
Sicut *habes nostris similes* sub *imagine vultus*[3])
Moribus et vivas *tempus in omne meis.*[4])
5 Te rogo, quae ſenſi, *senti* simul, *optime* Fili,[5])
In vultu *qui me fersque refersque tuo.*[6])
Denique securus famę mecum *ire memento*[7])
Quae mihi non *ullo tempore* lęsa *fuit.*[8])
Ingenio, mi Nate, *meo comitorque fruorque*[9])
10 Mundus *in hoc potuit iuris habere nihil.*[10])
Non ita se nobis tribuit *Fortuna secundum,*[11])
Nubila sunt subitis tempora facta *meis.*[12])
Nam tribuit, *quodcunque libet, Fortuna rapitque,*[13])
Cirus enim parvo tempore Cresus *erat*[14])
15 Sic subito *vultu* risit *Fortuna* secunda,[15])
Ut me tacturum *sydera summa putes.*[16])
Nunc *ea difsimilis subito est effecta priori,*[17])
Dictus eram *Populi publicus ore reus.*[18])
Scis bene, quot *gladios fugi, totiesq; minata*[19])
20 *Obruit infelix nulla procella caput.*[20])
Dum circum gladijs *dubius iactabar et undis,*[21])
Ullus obumbravit non mea *corda* timor.[22])
Est quoque multoties *nostri pulsata sepulcri*[23])
Ianua; sed nullo tempore aperta fuit.[24])

[1]) trist. V, 6, 1. — [2]) I, 1, 10. — [3]) I, 7, 1 *(Siquis — in).* — [4]) I, 6, 36 *(Carminibus vives).* — [5]) I, 7, 5 *senti tamen optime dici.* — [6]) I, 7, 6 *(In digito).* — [7]) I, 1, 49 *(liber ire).* — [8]) hic versus fictus ad III, 2, 24 *ianua sed nullo tempore aperta fuit.* — [9]) III, 7, 47 *(tamen ipse).* — [10]) ib. 48 *(Caesar).* — [11]) I, 1, 51 (*praebet*, codex nullus *tribuit).* — [12]) I, 1, 40 *(nostra).* — [13]) III, 7, 41 *(Nempe dat id;* codex nullus *tribuit).* — [14]) III, 7, 42 *(Irus et est subito, qui modo Croesus erat; Cirus et est subito* cod. Berol. cf. supra p. 17). — [15]) I, 5, 27 *(Dum iuvat et vultu ridet F. sereno; secundo* codd. nonnulli et Vincent. Bellov. — [16]) I, 2, 22 *(Iam iam tacturos).* — [17]) I, 1, 121 *(Namque).* — [18]) I, 1, 24 *(Et peragar).* — [19]) III, 2, 25 *(Cur ego tot).* — [20]) ib. 26. — [21]) III, 2, 15 *(tamen et terris).* — [22]) ib. 16 *(Fallebat curas aegraque c. dolor).* — [23]) III, 2, 23 *(Ei mihi quod nostri totiens).* — [24]) ib. 24.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf